



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Opusculum II. De Usu, & Abusu Scientiæ Mediæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

OPUSCULUM II.

De Ufu, & Abufu Scientiæ Mediæ.

Kamppe
et
Ripalda

Hujus
Opusculi
scopus.

I. **R**ATUM est apud omnes, quantum sit Scholæ nostræ præsidio, Scientiæ Mediæ illustratio adversus Assertores physicarum prædeterminationum; ita ut omnia eorum tela ad hoc scientiæ mediæ antemurale cassato impetu, innoxia semper hæctenus defluerint. Idcirco post physicam prædeterminationem, ut propugnatur ab illustri Prædicatorum Familiâ, efficaciter à nobis in præfenti Opusculo ex Divi Thomæ doctrinâ impugnatam, necessum habui in materiâ de Gratiâ, & libero arbitrio superstruere, & variis præmunire Theſibus hoc scientiæ mediæ præsidium, quo nostri Magistri libertatis exolutæ propugnatores acerrimi tuentur certitudinem divini scientiæ, efficaciam divini gratiæ, infallibilitatem æternæ Providentiæ: quæ omnia nutarent, imò absque scientiâ mediâ prorsus everterentur. Jam verò cum præfixus in hoc Operis suscepti laboris scopus eo ab ipsius limine collimaverit, ut Orbi Litterario constet, doctrinam Doctoris Angelici nec peregrinam, nec ab Scholis Societatis alienam fore, præsertim in remotissimis illis Americæ Academiis, immeritòque R. P. Procuratorem Dominicanæ Familiæ, Tum Sanctissimi Innocentii XI. Tum supræmi Indiarum Senatûs animum imbuisse, solerti illâ, minusque sincerâ relatione, quâ in Occiduis Indiarum plagis; Novi scilicet Regni Granatensis, & Quitti, palam dicebatur, periculum & quidem ingens imminere, ne Divi Thomæ doctrina penitus exularet. Idcirco cum eo fermè tempore ferè omnia, quæ sparsim in hoc Volumine continentur, in Xaverianâ Academiâ Discipulis dictaveram; æquum duximus hæc attexere Opusculum hoc de Scientiâ Mediâ, ut vel in hoc puncto, Thomistis communiter infenso, Scholam Jesuiticam maximè Doctoris Angelici inhærere principiis, palam inclarescat.



QUÆSTIO I.

Nonnulla præmittuntur pro Scientiæ Mediæ illustratione Præcludia.

DIFICILIA adeò sunt, quæ agitantur in hoc divini scientiæ certamine, ut undequaque Scholasticum labyrinthum videamur incurrere, quin occurrat aditus evadendi: idcirco ut caliginem omnem dispellam, præcludiorum divisione utar, quæ lucem rebus confusè cognitis folet afferre.

PRÆLUDIUM I.

Diversum esse creaturarum, & Scientiæ Mediæ diviso explicantur.

2. **U**T omnem Scientiæ Mediæ abusu- Res duplex esse habent, physicum vel proprium, & aliud intentionale & objective. sum vel ab ipso disputationis limite declinemus, notare prius oportet principium illud, quod ex Tract. de Animâ in pluribus hujus Operis dissertationibus latè profecuti sumus, ut maximè: & omninò necessarium ad expediendas difficultates quæ aliter vix possunt explicari. Principium igitur est, res ipsas duplici esse gaudere: alio scilicet physico, & proprio; altero verò intentionali, sive objectivo, aut intelligibili. Esse igitur proprium & physicum dicitur illud, quod in propriâ naturâ habent: tale dicitur esse, quod nos habemus, & alia entia, quæ operatione naturæ extra suas causas naturales existunt. Præter hoc autem esse proprium, & physicum datur aliud intentionale, & quod habent in aliquo intellectu conceptu, vel quavis aliâ specie intentionali; quæ est veluti expressio, aut imago, sive formalis similitudo rei, in quâ ipsam cognoscimus

cognoscimus repræsentatam, ut efficacibus rationibus, & exemplis in Opusculo prævio de modo, quo intelligimus, & Opusculo de Universalibus, & sæpè alibi passim ostendimus; & fusiori calamo probavimus.

Antequam res sit in propria natura potest habere esse objectivum. Et patet in domo ab artifice faciendâ.

3. Undè potest contingere, ut priusquam res fiat, & habeat esse in propria naturâ, accipiat esse objectivum & intentionale. Sic domus faciendâ ab artifice, antequam executioni in propria naturâ mandetur, habet esse intentionale in mente artificis, aliâ quo mediante conceptu, sive idæâ mentali, in quâ domum faciendam contemplatur, & cognoscit artifex, non quidem in seipsâ, & secundum esse proprium; cum nondum habeat physicum ante executionem artis: eam tamen solet cognoscere secundum omnia particularia, quæ in sui formatione habitura est, determinatur mediâ illâ idæâ, sive conceptu, qui tam domum, quàm modum sui artificii clarissimè repræsentat. Hinc est, quod si artifice, postquam operam domus executioni dedit, dixeris, utrum aliquid de novo post domum factam didicerit, quod antea non noverat? Respondebit profectò, se nihil didicisse de novo quantum ad scientiam, sive notitiâ artis: quia omnia, quæ de domo illâ oculis apparent, mente jam noverat, cognoscendo prius, & contemplando domum; in suâ mentali domo, sive idæâ formatâ. Relinquitur ergo, quod domus A, v. g. habet duplex esse, aliud physicum, & artificiale; illud nimirum, quo utuntur homines ad victum, & habitationem; alterum verò intentionale & improprium, quod solum habet in verbo, idæâ, sive conceptu artificis, in quo iste contemplatur domum ipsam faciendam, antequam fiat. His ita.

Id suadet ipsi in Deo mundum cognoscere factum, antequam fieret.

4. Venio ad Deum, & rogo, an Deus mundum cognoverit factum, antequam fieret? si affirmes: Contra sic: ergo Deus cognovit factum, quod factum non erat? consequens autem est implicatorium, & falsum: quia cognitio, quâ judicatur factum, quod nondum est factum, falsa est. Si neges: Contra etiam est: Ergo Deus non habuit scientiam de mundo factò ante mundum factum? Ergo habuit scientiam de mundo factò post mundum factum? At mundus non fuit factus ab æterno, ut est de fide. Ergo Deus non habuit scientiam de mundo factò ab æterno. Rursus: mundus fuit factus in tempore: Ergo Deus habuit scientiam in tempore de mundo factò. Ergo Deus habuit scientiam in tempore de aliquo objecto, de quo non habuit scientiam ab æterno. Ex quo fit, Deum aliquid in tempore de novo scire, quod ab æterno ignoravit. Consequens autem absurdum, & impiissimum est.

Scientia igitur non debet esse

5. Certè vix te ab his, & aliis tricis expedit, nisi ad præfatum principium confu-
Theol.

gias dicendo, scientiam non debere esse necessariò de re secundum suum physicum, & proprium esse, sed de re secundum esse intentionale, & objectivum: sicut ut artifex habeat certam de fabricandâ domo notitiâ, non requiritur, quod prius fiat in executione domus; sed sufficit, quod in suo conceptu, sive idæâ formatâ domum faciendam, aut factibilem contempletur. Ad hunc igitur modum dicendum est, mundum habere duplex esse; aliud proprium, & physicum, quod oculis cernimus; aliud verò intentionale: primum quidem in tempore habuit secundum suam propriam naturam: secundum verò habuit ab æterno in mente divinâ, quæ est similitudo, & formalis omnium rerum expressio. Jam verò ad hoc ut Deus dicatur ab æterno scire mundum, opus non est, nec quod ab æterno mundus existat secundum suum esse proprium, & naturale; nec quod existat tempus: fuit tamen maximè necessarium, quod ab æterno in mente divinâ esse intentionale, & objectivum haberet. Si enim Deus speculo mihi ante oculos obstitenti; hic & nunc imprimeret speciem propriam Anti-Christi; certè veram & propriam notitiâ de Anti-Christi facie, & ejusdem propriâ figurâ modò haberem, quamvis nunc ille non existat secundum suum esse proprium, & naturale: ad talem enim notitiâ comparandam, sufficit, quod Anti-Christus existeret in illâ specie speculi secundum esse intentionale, & per sui similitudinem: imò de facto contingere potest, quod quis habeat certam notitiâ de staturâ, facie, aliisque proprietatibus Petri, antequam illum videat secundum suum esse proprium, & naturale, quod ipsi competit; ut si antea ipsum in specie, aut imagine ab ipso Petro impressâ alicui speculo, conspiceret; tunc enim Petrum videret non in esse proprio; sed solum mediante illâ specie, sive imagine speculi.

6. Jam verò cum certum sit ex communi Theologiâ, in Deo esse expressam & perfectissimam omnium rerum similitudinem, similiterque in Deo dari idæas, quæ sunt veluti formæ, & rationes ad omnia entia cognoscenda. Fit primò, quod Deus intuendo in se hanc similitudinem, determinetur ad cognoscendum simplici quâdam intelligentiâ ea objecta, quæ dicimus necessaria, sive rerum essentias. Fit secundò, quod determinetur etiam ad objecta contingentia, quæ nos sub aliquâ conditione explicare solemus, ut infra ostendam. Fit tertio, determinari etiam Deum ad cognoscenda objecta quæ pro suâ temporis differentiâ juxta positum divinæ rationis sunt absolute futura. Sub hoc ergo principio, quod ab ipsius Philosophiæ cursu cum Magistro Angelico latè prosecutus sum (ut ex locis supra citatis constat) veniunt plura digna notatu, quæ

Deus intuens in se rerum omnium perfectissimâ similitudinem deteminarur ad ipsarum essentias, ad objecta contingentia, & ad absolute futura cognoscendum.

si maturo expendantur examine, ut vitetur abusus, rectum scientiæ mediæ utrum illustrabunt.

7. Notare oportet secundò, ex communi etiam Theologiâ, omnes creaturarum perfectiones contineri in Deo, sive ratione Essentiæ divinæ, sive Omnipotentia tanquam in causâ effectivâ; seclulis tamen imperfectionibus, quas contrahunt creaturæ, dum in suo esse proprio & naturali existunt. Suppositio hæc apud omnes certa videtur, & facile probatur. Quia Deus est infinita, & perfectissima rerum omnium causa. At in causâ infinitè perfectâ continentur omnes perfectiones effectuum absque ullâ imperfectione; aliàs non esset causa infinitè perfectâ. Ergo omnes rerum perfectiones continentur in Deo sive ratione Essentiæ, sive ratione divinæ Omnipotentia, seclulis imperfectionibus. Hinc.

8. Notandum est tertio, in essentiâ divinâ contineri omnes perfectiones creaturarum, non solum ut in causâ efficien- ti, sed etiam in esse intelligibili, sive secundum esse intentionale. Hæc etiam suppositio verissima est, & probatur primò. Quia unum continere aliud in esse intelligibili, & intentionali, aliud non est, quàm esse medium alicujus potentia, vel actûs ad hoc, ut potentia, vel actus intelligat, vel cognoscat, quod in illo continetur, vel repræsentatur. Atqui essentia divina determinat divinam cognitionem, ut ipsâ mediante, omnes creaturarum perfectiones intelligat. Ergo tales perfectiones continentur in illâ in esse intelligibili, & intentionali. Probatur secundò. Quia speciem intentionalem speculo immisissam à Petro, ipsum Petrum continere, non quidem in esse suo naturali, sed solum in esse visibili, & intentionali, nihil est aliud, quàm ipsam speciem visivam determinare potentiam ad hoc ut eâ mediante, vel in ipsâ tanquam in medio ipsum Petrum videat; cum talis species sit expressâ & clara actualis Petri similitudo. At essentia divina est expressâ, & substantialis omnium rerum, & perfectionum similitudo. Ergo ipsa sola divinam cognitionem determinat, ut tales perfectiones intelligat. Sed hoc est, eas contineri in Deo secundum esse intelligibile, & intentionale, sive objectivum. Probatur tertio. Etenim si per impossibile Angelus, homo, leo, &c. non continerentur in essentiâ divinâ secundum esse intelligibile, & intentionale, modo explicato, Deus nullam haberet, nec posset cognitionem habere de Angelo, homine, & reliquis creaturis. Ergo. Antecedens ostendo primò. Quia imperceptibile est, quod, Petro nec in suo esse proprio, & naturali existente, nec in aliquâ sui specie, aut imagine, detur nihilominus visio aliqua de illo: quod adeò verum est, ut non solum visus quidquam videre, sed nec intellectus possit quid-

quam intelligere, nisi prius verbum aliquod; sive conceptum rei expressivum efformet, in quo talis res existat secundum esse intelligibile, sive repræsentativum, sive intentionale; vel nisi Deus aliquam speciem desuper infundat. Sed Angelus, homo, &c. saltem ab æterno non habuerunt esse proprium suæ naturæ, ut est fide certum; nec ex factâ hypothese haberent esse intelligibile, & intentionale. Ergo ut Deus creaturarum perfectiones cognoscat necesse est, in Deo, sive in essentiâ divinâ præcontineri omnes illarum perfectiones secundum esse intelligibile, & intentionale.

9. Probatur quartò. Implicat etiam in Deo cognitio, & scientia, implicante objecto motivo, & specificativo. Sed ex eadem hypothese imperfectâ, tale motivum, seu determinativum objectum non esset. Ergo. Major est certa. Minor probatur primò. Quia in Deo non esset motivum; nam, ut supponimus, non contineretur in Deo secundum esse intelligibile: quemadmodum species Petri in speculo est objectum motivum determinans ad videndum Petrum, non verò Paulum: quia solum Petrus continetur intentionaliter in tali specie secundum esse visibile. Ergo si in Deo non cõtinerentur secundum esse intelligibile & intentionale, Angelus, homo, & reliquæ creaturæ, in Deo non esset objectum motivum determinans ad cognitionem illorum. Probatur secundò illa Minor. Quia tale objectum extra Deum non esset, tum quia implicat, quod aliquid extra Deum scientiam ejus primò, & per se determinet; hoc autem manifestè arguit imperfectionem in Deo. Tum etiam quia quod propriè, & simpliciter non est, non potest propriè, & simpliciter determinare ad sui cognitionem. Atqui Angelus, homo, &c. ab æterno nec habuerunt esse proprium, & naturale, quale nunc habent: nec extra Deum habuerunt esse in aliquâ specie, aut eorum similitudine, quale concipimus, & affirmamus habere Petrum in specie speculi; ut experientia ostendit. Ergo de primo ad ultimum, si Angelus, & reliquæ creaturæ non continerentur in Deo secundum esse intentionale, Deus nullam de illis scientiam aut cognitionem haberet. Hinc venit autè rejicienda omninò, aut saltem modicum temperanda quorundam Recentiorum cogitatio, qui splendor, & sui ingenii acumine ducti, meditantur extra Deum creaturas possibles actu distinctas à Deo, in quas ipse tendat: quemadmodum (tamen imperfectione seclusâ) nos tendimus ad videnda alia extra nos objecta in aère, vel simili modo, quam opinionationem tum in Curfù Philosophico, tum in Tract. Metaphysico multis rejecimus. Præterea.

10. Notandum quartò, quod licet divina scientia simplicissima sit, & illimitata, ita ut nullam ex parte Dei divisionem patiat, & speculatur alt latitiam.

Omnes creaturarum perfectiones continentur in Deo sive ratione divinæ; sive Omnipotentia, tanquam in causâ.

Non solum illæ continentur in divina essentia tanquam in causâ, sed in esse intelligibili & intentionali.

ast ex parte creaturarum, & varietate objectorum, quæ perfectissimè attingit, multiplex à Theologis consideratur: propterea ex communi omnium Theologorum sententiâ prima, & satis communis scientiæ Dei divisio est in scientiam speculativam, & practicam. Scientia speculativa in Deo dicitur illa, quæ Deus cognoscit res, quæ nec sunt secundum esse propriæ naturæ, nec fuerunt, nec item futuræ sunt. Sed talis scientia versatur propriè circa res purè possibiles, quas Deus potest producere, sed nec facit, nec facturus est. Ita sentit Doctor Angelicus 1. part. quæst. 14. artic. 16. & in pluribus aliis locis. Practica verò scientia dicitur illa, quæ non solum cognoscit objectum in essentiâ divinâ; sed etiam illud efficit extra sive effectivè, sive directivè, juxta varias Doctorum explicationes. Dividitur secundò Scientia in necessariam, & liberam, in quo etiam omnes ferè Theologi cõveniunt; quamvis modus, quo explicatur divinæ scientiæ libertas, non sit ita facilis, ac pluribus appareat; nec quare scientia Dei sibeat denominationem liberæ; cum talis denominatio sit propria actus voluntatis, de quo alibi. Scientia necessaria dicitur illa, quæ cognoscit objecta antecedenter ad decretum, & liberam determinationem voluntatis. Undè prædicta scientia non attingit existentiam rerum in propriâ suâ naturâ, sed solum earum essentias, & quidditates cognoscit. Scientia verò libera illa dicitur, quæ versatur circa res existentes, vel pro suis differentiis temporum exituras.

Deinde in necessariâ & liberâ.

Præterea in scientiâ simplicis intelligentiæ & visionis.

II. Tertio dividitur scientia in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: quæ divisio celebris, & communis est apud omnes Theologos de quâ Sanctus Thomas 1. part. quæst. 14. artic. 9. & part. 3. quæst. 10. artic. 2. ad 2. & 1. contra Gentes, cap. 66. & 69. & 1. Sentent. distinct. 38. artic. 4. Scientia ergo simplicis intelligentiæ ex mente Divi Thomæ, & propriè loquendo, est illa, quæ versatur circa res, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futuræ sunt. Constat hæc explicatio ex Angelico Præceptore in 1. Sentent. artic. 4. ubi supra. Ibi: *Esse autem rei potest tripliciter considerari, vel prout est in propriâ naturâ ex suis principis educta, vel prout est in potentiâ alicujus causa, vel prout est in apprehensione cognoscens: Omnia ergo illa, quæ habent esse in suâ naturâ secundum quodcumq; tempus, Deus scivit non tantum in cognitione suâ, vel potentiâ alicujus causa: sed etiam in esse natura, videndo ea esse: res autem illas, quarum esse in nullo tempore est in propriâ naturâ, cognoscit esse in potentiâ causa, vel creatura deficientis, sicut mala; vel in potentiâ operativâ suâ, sicut bona: scit tamen ea esse in cognitione suâ, in quantum scit, se cognoscere ea, & posse ea facere, quantum ad bona: vel posse contingere ex defectu creatura, quantum ad Theol.*

mala. Et hic modus cognitionis nominatur scientia simplicis intelligentiæ: in quantum scilicet per modum istum cognoscitur ipsa simplex natura rei, quæ potest esse: tamen non cognoscitur ipsum esse simplex, cuius propriè est visio; sed secundum quid tantum. Hæc Sanctus Doctor, ex quibus ferè tota hujus præludii doctrina comprobatur.

12. Unde scientia visionis erit illa, quæ versatur circa res, quæ sunt, fuerunt, vel erunt. Dicitur hæc scientia visionis translativè à potentiâ visivâ: sicut enim oculus intuetur objecta sibi præsentia: sic Deus dicitur videre res pro suâ differentiâ temporis sibi præsentibus. Quod quidem satis expressit, Angelicus Doctor quæst. 2. de Veritate artic. 9. ad 2. dicens. *Dicitur scientia visionis in Deo ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur.* Denique hæc scientia visionis dividitur in scientiam approbationis, & improbationis. Scientia approbationis est, quæ circa bona versatur quæ approbantur divinæ voluntatis decreto. Scientia verò improbationis, aut reprobationis est ipsamet scientia visionis. prout versatur circa mala, & peccata, quæ non approbat divina voluntas; sed tantum permittit. Unde scientia approbationis fundatur in illo Psal. 1. testimonio: *Novit Deus viam justorum: Scientia autem reprobationis in illo Luca 13. Discidite à me operarii iniquitatis, nescio vos: Cum aliud certum sit: Deum malos, & mala cognoscere. An autem Dei scientia admittat divisionem scientiæ mediæ, ut nostri Doctores quasi peculiari Scholâ defendunt. fufiori calamo infra constabit.*

Quid sit scientia visionis.

PRÆLUDIUM II.

Illustratur modus, quo Deus omnia contingentia certò, & absque ullâ contingentia cognoscat.

13. **P**ræmittitur doctrina hujus Præludii, ut ex eâ omnis scientiæ Dei abusus facilius excludatur. Pro cuius clariori notitiâ suppono primò, quod licet scientiâ Dei præcedentes divisiones admittat, ut modò dicatur necessaria, modò libera, jam scientia simplicis intelligentiæ, jam scientia visionis: perfectio tamen divinæ scientiæ ex conceptu suo sic est indivisibilis, ut nullam divisionem etiam per nostros conceptus patiat, saltem cum fundamento in re: non enim dicimus, in Deo aliam esse perfectionem scientiæ simplicis intelligentiæ, aliam scientiæ visionis, & aliam scientiæ conditionatæ, sive mediæ. Ratio est. Quia divisio scientiæ habet in

nihilominus scientia Dei est ita simplicissima, ut cum fundamento in re nullâ adhuc per nostros conceptus divisionem patiat.

Deo fundamentum ex ipsa objectorum diversitate juxta diversum esse, quod creaturae possunt habere vel in re intelligibili, vel in esse proprio, & naturali extra suas causas. Unde Theologi communiter dividunt scientiam penes diversitatem objectorum, circa quae ipsa versatur. Jam verò cum scientiae divinae perfectio nullo modo accipiatur ab objectis creaturarum, sive rerum, circa quas versatur, sed solum ab ipso Deo, sive à primario, & unico motivo divinae essentiae, in qua tanquam in medio infinito continentur omnes creaturae secundum esse intelligibile & intentionale; cum essentia divina sit una, simplicissima & indivisibilis, consequenter perfectio divinae scientiae semper erit una, & indivisibilis necessariò existens in Deo. Hinc est, quod si Deus nolisset (ut potuit) unquam creare mundum, nec quamlibet aliam creaturam, Deus in tali casu non haberet scientiam visionis, quam modò ipsi tribuimus circa creaturas existentes, vel futuras: & nihilominus tota perfectio scientiae visionis, quae modò datur in Deo, esset in ipso independentem ab omni creaturarum existentia & futuritione. Ergo ideo est, quia divinae scientiae perfectio nec variatur, nec sortitur divisionem, nisi penes objectorum diversitatem. Unde.

14. Suppono secundò, ut distinguamus res secundum esse intelligibile & intentionale, quod habent in divina essentia vel etiam in divino verbo; ab ipsis rebus secundum esse proprium & physicum, quod habent hic & nunc, dum in propria natura existunt, aut extituras sunt extra suas causas; opus esse discursum nostrum elevare, ut duplicem mundum, vel eundem dupliciter consideremus; alium, qui cum Boëtio, & Divo Thomà potest dici idæalis, & archetypus, in divinaque mente secundum esse intentionale, & objectivum existens; & quidem secundum totam rerum & temporum seriem, & circumstantias: alterum secundum esse proprium, & physicum, qualis est quem oculis cernimus, & in quo vivimus. Mundum idæalem, & secundum esse intentionale, quod habet in divina essentia, pulchrè & sapientissimè insignis ille Theologus Boëtius 3. de Consolat. metro 9. hoc carmine decantavit.

ex Boëtio
3. de con-
sol. met. 9
depingi-
tur idæalis

Cum supra

*Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similis, in imagine
formans.*

Ac si præclarus Theologus diceret: ex ipsa infinita pulchritudine Dei oritur, quod Deus necessariò ab æterno gereret in mente, sive essentia sua hujus mundi pulchritudinem; ita ut mundum in sua mente cerneret efformatum, veluti in specie, & imagine omnium rerum, quae extra causas esse poterant, & non esse.

15. Unde mundus archetypus, & secundum esse intentionale, & intelligibile existens necessariò in Deo, nihil aliud est, quam clarissima imago, & expressa hujus mundi substantialis similitudo, quae est essentia divina, & propterea sæpe sæpius ab Angelico Magistro dicitur quod in esse intelligibili essentia divina est species infinita intelligibilium omnium expressiva. Demus exemplum. Dum Petrus se in speculo videt, vel ipsum in speculo, aut per speculum videmus, duplex esse Petri consideramus; aliud proprium, & naturale: aliud verò improprium, & intentionale: hoc habet Petrus in illa specie impressa speculo, quae ut ipsa experientia ostendit, nihil aliud est, quam expressa similitudo, aut imago Petri; ita ut quamvis non videamus Petrum in se ipso, & in sua propria natura: est tamen sufficiens medium ad comparandam de Petro notitiam. Quod adeò verum est, ut quamvis Joannes non videret Petrum in se ipso aut transeuntem, aut intrantem in domum aliquam: si tamen videret ipsum per speciem ipsius Petri in speculo, posset juramento affirmare, Petrum pertransisse, aut intrasse talem domum. Illud autem esse proprium & naturale habet Petrus naturaliter extra speculum.

16. Quia tamen juxta Apostolum invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, ab ipsa creaturarum cognitione necesse est, nos quasi manuduci, ut quasi per speculum, & in enigmate intelligendo divina, de illis saltem dignè loquamur. Dicimus ergo primò exemplum speculi, quo in pluribus hujus Operis controversiis cum Angelico Magistro usi sumus, apertissime ostendere modum, quo Deus res universas cognoscit, & quo res ipsae habent esse in divina mente; nam teste Sacra Pagina, ut Spiritus Sanctus homines instrueret, & naturam divinam Verbi manifestaret, simili exemplo utens, ait, esse speculum sine macula, & divinae bonitatis imaginem. Ecce nostri speculi metaphoram ipso divino Oraculo translatum ad Deum: ut facilius intelligamus, Verbum divinum, quia imago Patris est, & expressa similitudo omnium rerum, quae secundum esse intelligibile, & intentionale continentur in essentia divina; præcontinere etiam omnia objecta, ac proinde mundum cum tota sua rerum & eventuum serie habere esse intentionale in divino Verbo tamquam in expressa & infinita cognoscibile omnium similitudine; non minus, imò longè perfectiori modo, ac Petrus habet esse objectivum & intentionale in specie speculi; cum similitudo hæc sit accidentaliter, finita, & citò transiens; illa verò substantialis sit, infinita, & in æternum permanens. Id dixerim, ut aliquibus Recentioribus nostrae Xaverianae Academiae constet, minimè despicendum illud speculi exemplum, ut diffi-

Mundus
ergo archetypus
& 2. esse intentionale in
Deo necesse
est esse
illius clarissima &
substantialis
similitudo.

Apertissime
est nobis
frequens
speculi
exemplum
ad ostendendum
modum
quo Deus
res universas
cognoscit,
& ipsae
habent esse
in divina
mente

estates sive Philosophiæ, sive Theologiæ; quæ sub hoc principio frequentè concertationum incurrit ventilantur, etiam facillè expediuntur: quando enim veritas in se ipso non apparet, prudenter quaeritur medium, in quo eam attingamus: nec ullum aptius pro hac, & aliis difficultatibus, quàm illud à materialis speculi metaphorâ ductum.

Mundus idealis nihil est aliud est, quàm ideae divinae quas Deus habet de singulis rebus, operationibus casibus, &c, & quas PP. vocat creaturarum rationes.

17. Dicimus secundò hunc mundum idealem, sive secundùm esse intentionale, in divinâ essentiâ, ac in divino Verbo contentum, aliud non esse, quàm divinas illas ideas, quas Deus necessariò habet in se de singulis rebus, operationibus, casibus, & hujus mundi circumstantiis, quæ quidem à Sanctis Patribus creaturarum rationes vocantur; quia ut sunt practicae, constituunt in Deo artem producendi creaturas. Ut ergo doctrina hæc magis, & solidiori fundamento inclarescat, autoritate Sanctorum Patrum eam, æquum est, præmuniri. Ducat agmen Ecclesiæ illud Augustini lumen, lib. 83. quæst. ubi inquit: *Omnia ratione sunt condita, nec eadem ratione homo, quàm equus: hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propriis creaturæ sunt rationibus.* Damascenus lib. 1. de fide, cap. 13. his verbis: *Deus omnium Author est: ergo omnium, quæ sunt, rationes in se, & causas, hoc est, ideas præhabet.* Iterùm Magnus Augustinus lib. 12. de Civit. Dei: ibi: *In una Dei sapientiâ esse immensos quosdam, atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium & mutabilium, quæ per istam factæ sunt: quia Deus non aliquid nesciens fecit; quod nec de quolibet reitè dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.*

Hæ rerum rationes consistunt in divinâ essentiâ ut à creaturis infinitè & diversimodè imitabili.

18. Dicimus tertio, has rerum omnium rationes sive ideas, quæ communi Theologorum consensu tribuuntur Deo, ex mente Divi Thomæ consistere in ipsâ divinâ essentiâ, ut infinitis & diversis modis est imitabilis à creaturis: nam 1. part. 15. artic. 1. ad 2. ait: *Essentia divina habet rationem ideæ, secundùm quod ad alia comparatur.* Et artic. 2. ad 1. ibi: *Idea non nominat divinam essentiam in quantum essentia, sed in quantum est similitudo, vel ratio hujus, vel illius rei.* Videatur Sanctus Thomas in quæstionibus de Verit. & 1. Sentent. & 1. contra Gentes, cap. 5. ubi docet modum, quo intellectus potest conceptam formam intelligere. Unde expressè ait: *Deus intelligendo essentiam suam ut imitabilem per modum vitæ præcisè; accipit propriam ideam, & rationem plantæ.* Cùm ergo præter plantam in hoc mundo visibili innumerabiles sint rerum causarum, actuum, potentiarum sive liberarum, sive necessariarum, earum actus, & operationes, variaeque rerum vices, & circumstantiæ: consequenter dicendum est, Deum intelligere suam essentiam ut: ab om-

nibus creaturis, & rebus imitabilem, juxta modum naturæ cujuscumque rei competentem. Unde essentia divina quatenus cognitioni divinæ objicitur, ut imitabilis à plantâ, dicitur ratio, & idea plantæ: & quatenus imitabilis ab Angelo, idea Angeli: quatenus verò imitabilis, ab homine idea hominis; & sic in infinitum quatenus in infinitum imitabilis est.

19. Dicimus quartò hujusmodi rationes sive ideas dupliciter posse in Deo considerari: primò quatenus sunt actu practicae; secundò, prout sunt quasi in potentia, & in habitu. Actu practicae dicuntur, quando ex decreto Dei comparantur ad creaturas, quæ vel sunt, fuerunt vel erunt. Si verò comparantur ad ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec in aliquâ temporis differentiâ futurae sunt, dicuntur practicae non actu; sed habitu, & quasi in potentia. Unde quamvis independentè à Decreto, & divinæ voluntatis proposito Deus non cognoscat practicae actu creaturas, nec ideas creaturarum practicae actu habeat; certissimum est Deum independentè ab omni decreto formaliter cognoscere creaturas, quæ ex naturâ suâ possunt esse, & non esse: ac proindè earum habere ideas, non quidem actu practico, sed solùm virtualiter, & quasi potentia, ratio hujus est. Quia per decretum divinæ voluntatis decernentis creaturas producere, comparatur divina essentia ad ipsas creaturas ut actu imitabiles: at verò independentè à decreto Deus necessariò cognoscens rerum omnium naturas in suâ essentiâ tanquam in similitudine, & medio earum expressivo, consequenter cognoscit, tales naturas posse imitari ipsam divinam essentiam, & istam esse imitabilem potentia ab ipsis creaturis.

Illæ creaturarum rationes in Deo vel sunt actu practicae, vel practicae, quasi in potentia, & habitus.

20. Quam explicationem valdè illustrat Angelicus Doctor quæst. 3. de veritat. artic. 6. ubi inquit: *Idea recipit practicae cognitionem non solùm habitu, sed actu; Unde cùm Deus de his, quæ facere potest, quamvis nunquam sint facta, habeat cognitionem virtualiter practicae; relinquatur, quod idea possit esse ejus: quod nec est, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo, sicuti est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, producendo, determinatur ex proposito divina voluntatis; non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; & sic hujusmodi habet quodam modo indeterminatas ideas.* Ita Sanctus Thomas. Undè sicut artifex creatus non solùm format ideam de re; aut domo, quam actu exercet, aut opere exercere, aut fabricare contendit; sed etiam de illâ quam potest facere, licet eam nolit efficere: sic Deus necessariò habet ideam non solùm rerum existentium, aut quæ extituras sunt; sed etiam rerum purè & merè possibilem; licet hujusmodi ideæ, cum ex divino decreto non sint applicatae ad agendum, non possint dici

Afferet explicatorem illustrat Angelicus 1. 3. d. verbo art. 6.

fit objectum contingens, non potest esse objectum simplicis intelligentiæ; cum hoc debeat esse immutabile, & necessarium. Restat ergo, quod mundus secundum se, & speculative sumptus, fit objectum scientiæ necessariæ, & simplicis intelligentiæ.

21. Dicimus quintò, Mundum hunc juxta duplicem modum, quo in essentiâ divinâ consideratur ideæ, posse etiam in mente essentiâque divinâ considerari: primò, ut est objectum divinæ essentiæ independentem ab omni decreto: Secundò, ut est objectum ejus post decretum, in quantum est existens in propriâ suâ naturâ physicâ, vel futurum est pro sua temporis differentia. Si Mundus hoc secundo modo consideretur, est objectum contingens; si primo modo accipiatur, mundus est objectum necessarium. Ratio primi est. Quia contingens dicitur, quod potuit esse, & non esse. Sed mundus secundum esse physicum, & naturale, & proprium suæ naturæ, potuit esse & non esse, ut est certissimum. Ergo mundus, qui est, aut posito Dei decreto, futurus erât, est objectum omninò contingens. Est ratio secundi certissima. Quia mundus ante omne decretum, & independentem ab omni decreto consideratus, est objectum scientiæ necessariæ, & quod solum habet esse intentionale, & intelligibile in Deo. Sed objectum scientiæ necessariæ, nõ potest esse, & non esse intentionaliter in Deo; sed necessariò immutabiliter, & æternaliter habet esse intentionaliter in Deo, & in ejus divinâ essentiâ. Ergo mundus consideratus tanquam objectum divinæ scientiæ ante omne decretum, & independentem ab omni decreto, est objectum omninò necessarium.

22. Nec putet aliquis, cum dixerim, mundum, ut est objectum scientiæ necessariæ, esse immutabile, & æternum: me loqui de essentiâ divinâ, in quantum essentia divinâ est species, & expressa similitudo mundi, & eorum omnium, quæ pro hæc rerum serie eveniunt in mundo; nec de essentiâ, ut est imitabilis à creaturis; sed solum de mundo, qui independentem ab omni decreto simplici quâdam intelligentiâ cognoscitur à Deo in essentiâ divinâ tanquam in medio necessario inducendi ejus cognitionem. Unde aliud est quod essentia divinâ fit substantialis representatio mundi: & aliud mundus, qui mediante tali representatione tanquam in medio cognoscitur: quemadmodum in speculo aliud est species, sive imago expressiva Petri; & aliud Petrus, qui in tali imagine, sive specie videtur: si enim consideretur mundus secundum esse, quod habet in Deo in esse intentionali, & intelligibili; sic non est objectum simplicis intelligentiæ; sed est ipsa essentia divinâ mundi expressiva: si autem consideretur secundum esse naturale, & physicum, quod ex nihilo & extra causas habet; sic etiam cum

fit objectum contingens, non potest esse objectum simplicis intelligentiæ; cum hoc debeat esse immutabile, & necessarium. Restat ergo, quod mundus secundum se, & speculative sumptus, fit objectum scientiæ necessariæ, & simplicis intelligentiæ.

23. Dicimus sextò, Deum ab æterno & Deum sic independentem ab omni decreto, cognoscendo mundum, cognovisse omnia, quæ in mundo geruntur & fiunt, tam necessaria quàm libera & contingentiâ; non quidem contingentiâ; sed necessariò. Ratio est. Quia Deus ab æterno, & independentem ab omni decreto cognoscit scientiâ necessariâ ea omnia, quorum est expressa similitudo. Sed essentia divinâ est expressa similitudo rerum & causarum, quæ secundum esse naturale, & physicum sunt necessariæ; & etiam earum quæ secundum tale esse sunt liberæ & contingentes: nec solum effectuum, & actuum necessarios, sed etiam effectuum & actuum liberorum, & contingentium. Ergo omnia quæ in hoc mundo geruntur, & fiunt, sive necessaria, sive libera, & contingentiâ, Deus prænovit scientiâ necessariâ. Major est certa. Quia implicat, quod intellectus attingat objectum motivum, & expressivum aliquid rei, quin rem illam cognoscat, quæ in tali objecto motivo, & expressivo representatur. Deus autem attingit suam essentiam, quæ est objectum motivum, & infinitè expressivum omnium intelligibilium. Ergo. Minor verò primi syllogismi probatur. Quia essentia divinâ est similitudo substantialis Solis, Ignis, illuminationis, calefactionis, & sic de aliis causis, & effectibus; qui secundum esse physicum & naturale pro necessariis habentur: similiter est expressa similitudo voluntatis Angelicæ & humanæ, liberi arbitrii, consensus, dissensus, volitionis, nolitionis, pluriarum, tempestatum, & aliorum effectuum, quos liberos, & contingentes, earumque causas liberas, & contingentes appellamus: quæ omnia representantur in divinâ essentiâ modo longè meliori, & perfectiori, ac si Deus mirabili suæ sapientiæ arte utens formaret in quodam speculo speciem integram, & totalem hujus mundi, in quâ clarè representarentur rerum & temporum vices, causæ necessariæ, & liberæ, effectus, & actus talium causarum, circumstantiæ, occasiones, congruentiæ, & casuum hypothetæ, quibus hi, vel illi effectus, isti aut illi actus producuntur; aut non producuntur.

24. Nec mirum & operosum hoc videri debet; cum Deus, aut scientiam infusam, aut species Viris Sanctis & Prophetis infundat, in quibus futurorum eventus representantur, ut eos, antequam fiant, enuntient: imò ut ex Evangelio constat, ipse Diabolus veluti in quadam mappæ, aut prototypi imagine Christo Domino omnia mundi regna, &

Mundus potest considerari vel ut objectum scientiæ Dei independentem ab omni decreto vel post illud ut in propria natura existens.

Non de divinâ loquor essentiâ, sed de ipso mundo simplici quâdam intelligentiâ à Deo cognito in illâ.

Id potest in Deo, scientiam & futurorum species infundere Prophetis.

et eorum ostenderit gloriam. Ex quibus patet, hunc mundum independentem ab omni decreto, & divinæ voluntatis proposito, fuisse Deo ab æterno præsentem in infinito illo speculo suæ essentia divinx, in quo necessarîo prænovit omnes causas tam necessarias, quàm liberas, ac proinde earum effectus, & actus sive liberos, sive necessarios; eâ necessitate, & certitudine, quâ suamet essentiam, in quâ omnia representantur, infallibiliter, & immutabiliter cognoscit. Quem modum discurrendi in hoc perdifficili Theologiæ examine, ita certum & ex mente Magni Augustini, & Doctoris Angelici existimo, ut si rectè ejus termini apprehendantur, ei non dubitem suffragari Doctores utriusque Scholæ; Thomisticæ scilicet, & Jesuiticæ: quia tamen ab ejus intelligentiâ, & veritate verus difficiliorum quæstionum pendet intellectus, proderit, iterum utramque mundi acceptionem; scilicet secundum esse intentionale in Deo, & secundum esse physicum, & naturale in hoc rerum ordine, auctoritate, & ratione magis illustrare in sequenti Præludio.

PRÆLUDIUM III.

Nova præcedentis doctrinæ illustratio ex præclarâ Magni Augustini auctoritate.

25. **Q**uam præcisa fuleitur x. ex August. t. r. i. super Joan. x. **Q**uam Orbis Litterarius Magno Augustino debeat, merito Catholicorum nullus discutitur; cum ad expediendas divinæ gratiæ, scientiæ, & prædestinationis implexas controversias, vix liceat vel latum unguem ab ejus vel acumine, vel lumine, absque errandi periculo declinare tantisper. Sanctus igitur Doctor, ut huic, & aliis difficultatibus aditum aperiret, hujus mundi fabricam quoad utrumque, intentionale videlicet, & physicum esse, sequenti exemplo delineavit, dum ad illa Joannis i. verba, tractatu r. sic discurrenit: *Quod factum est, in ipso vita erat? Quid est hoc vita erat. Facta est terra; sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita: est autem in ipsâ sapientiâ spiritualiter ratio quedam, quæ terra facta est: hæc vita est.* Et paulò infra: *Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam, sicut in arte arcam non haberet, non esset, unde fabricando eam proferret Attende ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo quia Sapientiâ Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia: bine quæ sunt per ipsam artem, non continuo vita*

sunt: sed quicquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra; cælum vides; est in arte cælum: Solem & lunam vides; sunt & ista in arte; sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. Sic S. Augustinus.

26. Menti Augustini subscribit Doctor Angelicus lect. 2. in 1. cap. Joannis, ibi: *In ipso vita erat. Res enim dupliciter considerari possunt, secundum quod sunt in se ipsis, & secundum quod sunt in verbo: Si considerentur, secundum quod sunt in seipsis, sic non omnes res sunt vita, nec etiam viventes; sed aliqua carent vitâ, & aliqua vivunt: sicut facta est terra, facta sunt etiam & metalla, quæ nec vita sunt, nec vivunt: facta sunt animalia, facti sunt homines, quæ secundum quod sunt in seipsis, non sunt vita: sed vivunt solum: si ergo considerentur secundum quod sunt in verbo, non solum sunt viventes, sed etiam vita: nam rationes in sapientiâ Dei spiritualiter existentes, quibus res facta sunt ab ipso Verbo, sunt vita; sicut arca facta per artificem, in se quidem nec vivit, nec vita est: ratio verò arca quæ præcessit in mente artificis, vivit quodammodo in quantum habet esse intelligibile in mente artificis. Et idem quicquid est in Deo, non solum vivit, sed est ipsa vita: quia quicquid est in Deo, est sua essentia: unde creatura in Deo est creatrix essentia: Si ergo considerentur res secundum quod in Verbo sunt, vita sunt.* Ita S. Thomas.

27. Ex his, quæ altiori sensu, providâque speculatione duo Scholasticæ Theologiæ Principes posteris commendarunt, facile cuicumque constabit, doctrinam à nobis in præcedentibus exaratam; non de proprio cerebro meditatam; sed de ipsorum mente absque ullo offendiculo procedere; ut ex sequentibus innotescet. Sequitur ergo primò ex doctrinâ Sanctorum Augustini, & Thomæ, mundum, & omnia, quæ in eo sunt, posse considerari: primò secundum esse naturale, & proprium, quod in seipsis habent in hoc rerum statu: Secundò, secundum esse intentionale, & intelligibile, quod habent in Deo: sicut arca habet esse in mente artificis, & rursus habet esse in opere externò, ut jam manet explicitum. Sequitur secundò, ex vi necessariæ consequentiæ, omnes causas sive liberas, & contingentes in operando, sive naturales, & necessarias habere esse non solum contingentia; sed etiam intentionale, & intelligibile in ipso Deo; & similiter ejus effectus, & actus sive liberos, sive necessarios, præter illud esse contingens, quod modò habent in seipsis secundum propriam naturam in esse physico & naturali.

28. Sequitur teritiò. Omnia entia creata sive contingentia, sive necessaria secundum esse, quod habent in Deo, esse ipsum Deum, ut constat ex Angelico Doctore supra dicente: *Unde creatura in Deo est creatrix essentia.* Ex quo fit, quod entia, sive causæ contingentes, & liberæ ex quidditate suæ essentia,

Subscribit S. Thom. lect. 2. in 1. c. Joann.

Unde sequitur roborari duplicem illam mundi considerationem in esse physico, & intentionali.

Omnis entia quæcunque creata secundum esse quod habent in Deo, sunt ipse Deus.

tiæ, similiterque actus liberi Angelorum, & hominum, si considerentur secundum esse quod habent in Deo, esse necessaria, & immutabilia. Unde licet pœnitentia Divi Petri, & conversio Sancti Pauli secundum esse physicum, & naturale, quod eis competit in hoc rerum statu, fuerint contingentes: aut secundum esse intentionale, & intelligibile, quod habent in essentiâ divinâ, aut Verbo divino, omnem contingentiam excludunt, eandemque divinâ essentiâ necessitatem induunt. Ratio hujus est. Quia pœnitentia Petri, & conversio Pauli secundum esse, quod habent in essentiâ divinâ, nihil aliud sunt, quàm ideæ, sive rationes substantialiter expressivæ pœnitentiæ Petri, & conversionis Pauli. Sed hujusmodi rationes sunt ipse Deus, sive essentiâ divina, ut imitabilis ad extra. Ergo secundum tale esse excludunt omnem contingentiam, & eandem induunt divinâ essentiâ necessitatem. Major patet ex Sancto Augustino ubi suprâ dicente: *Terram vides, est in arte terra: Cælum vides; est in arte cælum: Solem & Lunam vides; sunt & ista in arte; sed foris* (hoc est extra Deum, & in hoc rerum ordine) *corpora sunt; in arte vita sunt.* Quia tamen hæc adducuntur in exemplum, reliqua omnia quæ continentur in eadem ratione, comprehenduntur, ejusdem Sancti Doctoris paritate sequens discursus non minus certò, & efficaciter procedit. Liberum arbitrium, sive Angelicum, sive humanum vides: liberum arbitrium, sive Angelicum, sive humanum est in arte divinâ: consensum Divi Petri, & dissensum, sive impœnitentiam Judæ vides; consensum Divi Petri, & dissensum, sive Proditoris impœnitentia sunt in arte divinâ: Cognoscit sacra Pagina pœnitentiam Tyri & Sydonis in illis circumstantiis quas refert Textus Sacer: Tyri & Sydonis pœnitentia est in arte divinâ. Denique quoscumque actus liberos, quoscumque effectus contingentes, in quibuscumque occasionibus, & circumstantiis cognoscas: imò quæcumque intra rerum possibilem medietatis sphaeram, sunt in divinâ sapientiâ & arte: sed foris, hoc est, dum existunt in sua propria natura extra causas habent esse contingens, & unumquodque juxta conditionem, & modum suæ naturæ.

Deinde ex 29, Firmatur ulterius major illa præcedentis discursus ex verbis Divi Thomæ, ubi nuper citato, *Facta sunt animalia; facti sunt homines: qua secundum quod sunt in se ipsis, non sunt vita, sed vivunt solum: Si verò considerentur, secundum quod sunt in verbo, non solum sunt viventes; sed etiam vita: nam rationes in sapientiâ Dei spiritualiter existentes, quibus res facta sunt ab ipso Verbo sunt vita.* Ex quibus etiam fit, Deum habere rationes, sive ideæ non solum omnium entium præteritorum, præsentium, & futurorum hujus

mundi; sed etiam omnium, quæ non sunt, nec erunt; sed etiam purè & merè possibile dicuntur. Ratio est. Quia Deus est infinitus & supremus artifex omnium factibilium. Sed de ratione artificis est formare rationem, sive ideam eorum, quæ sub arte cadunt, & quæ ab ipso opere externo conficiuntur, vel confici possunt; & quò perfectior est artifex, eò perfectiores rationes, & ideæ efformat. Ergo cum Deus ex infinitâ perfectione divinæ essentiæ necessariò sit artifex summè, & infinitè perfectissimus, non potest non habere infinitas rationes & ideæ omnium agibilium, in quibus infinita entia contempletur, primò speculative, & solum practicè in potentiâ; Secundò practicè in actu ea omnia, quæ juxta propositum divinæ voluntatis foris, & extra pro suis temporum differentiam in sua propria natura fieri decrevit, juxta ea, quæ in Præudio antelapso notavimus; ubi me vide.

30. Sequitur ergo quartò. In Deo ulterius observari oportet ante omne suæ voluntatis decretum, & independentem ab illo, non solum ideæ, & rationes omnium factibilium; sed insuper in illis quasi in medio, & motivo cognoscere necessariò omnia factibilia, quorum tales rationes sunt ideæ expressiones & similitudines: Cujus cognitio non est cognitio, sive scientia visionis necessaria, nec visionis contingentium; sed solum cognitio & scientia necessaria simplicis intelligentiæ; ita ut per hanc cognitionem, & scientiam solum cognoscat naturas, & rerum omnium quidditates secundum se, & quasi præcisè ab omni esse intentionali, & intelligibili in Deo; sive physico, & naturali, quod habent, aut habere possunt per decretum in hac serie, & rerum ordine. Ratio primi est. Quia Deus necessario cognoscens suam essentiam ut infinitè imitabilem à creaturis, consequenter in eâ cognoscit rationes, & ideæ expressivas omnium entium quibus Deus potest dare esse proprium, & physicum juxta conditionem uniuscujusque naturæ. Sed eò præcisè, quod Deus cognoscat hujusmodi rationes, & ideæ, non potest non cognoscere simplici quâdam intelligentia infinita illa entia, quorum sunt expressæ similitudines: cognito enim objecto motivo, & expressivo alicujus rei, necessariò debet cognosci in illo veluti in medio res per ipsum representata. Ergo. Major ex dictis certissima est, & simul ab inductione, & exemplis explicatur. Primò quia, ut constat ex pluribus nostri Operis controversiis, præsertim de Unitate universalis, de modo intelligendi, & sæpè alibi, verissimè & proculdubio certissimum est principium illud quod cum Magistro Angelico expendimus: nimirum intellectum nostrum pro hoc statu ex necessitate intelligendi sibi Verbum, sive objectivum

Insuper
Deus in
illis ideis
quasi in
medio cog
noscat om
nia facti
bilia.

objectivos efformare conceptus qui, secundum esse quod habent in intellectu, sunt expressiones, & formales similitudines rerum, in quibus directè, & primò intentionaliter intelligit res, quarum similitudines sunt; v. g. In verbo aut conceptu hominis cognoscit immediatè hominem secundum se: in verbo, aut conceptu lapidis lapidem; & sic de aliis.

Uterius idem comprobatur in eodem.

31. Secundò. Quia eò præcisè quod artifex formet verbum, rationem, aut idæam domus fabricandæ antequam ad opus progrediatur extensum, contempletur domum illam secundum se, & prout abstrahit ab omni esse sive intentionali, quod habet in illo conceptu, ratione, aut idæa; sive artificiali, & externo, quod postea habet in executione. Tertiò. Quia finge (quod non est chymæricum; sed valde possibile) quod Deus in aliquo speculo non solum mentali; sed etiam visibili, & materiali formaret nobis species proprias eorum omnium, quæ futuris temporibus in die iudicii sacrâ Paginâ præscripta sunt: puta speciem propriam Anti-Christi, species signorum in Sole & Lunâ, & eas, in quibus persecutiones, victoriæ, martyrium, mortuorum resurrectio, conventus omnium hominum in vallem Josaphat, adventus Christi Domini, sanctissimæ Crucis præeunte vexillo ad universale iudicium, &c. Certè qui hujusmodi species impressas in illo mirabili speculo cerneret, non posset non videre, & tanquam sibi objecta haberet ea omnia quæ futuris temporibus eventura sunt, non minùs ac si hic & nunc agerentur, sicut modò videmus quancumq; aliam rem per sui speciem materiali speculo immisissam, & quidem non aliâ ratione, nisi quia in tali casu visus sibi præsentis haberet species, & quasi rationes expressivas earum rerum, quæ sibi in illis tanquam in videndi medio obijciuntur. Atqui Deus ex sua infinitâ perfectione, quæ ad intelligendum nequit ab alio species emendicare, habet in sua divinâ essentiâ sibi præsentis rationes, & quasi species substantiales omnium intelligibilium. Ergo non potest non cognoscere in illis, tanquam in medio perfectissimo, & necessario infinita illa entia, quorum tales rationes sunt expressivæ; veluti perfectissimæ eorum similitudines.

Præterea suadetur rerum quidditates non esse objecta scientiæ visionis necessariæ, nec contingentiæ.

32. Ratio secundi, & tertii: nimirum quod illa entia, sive rerum quidditates non sunt objectum scientiæ visionis necessariæ, neque scientiæ visionis contingentium: facili negotio redditur. Tum quia objectum scientiæ visionis necessariæ est ipse Deus, sive divina essentia. Sed entia illa, quæ Deus simplici quâdam intelligentiâ cognoscit in sua essentiâ ut infinite imitabili, vel (quod idem est) in illis rationibus, & idæis, non sunt Deus; ut apud omnes Theologos certò certius est. Ergo. Tum quia objectum scientiæ

Theol.

visionis sive liberæ, sive necessariæ, est existens vel existentiâ propriâ & naturali, vel existentiâ intentionali, & intelligibili. Sed quando Deus ante omne decretum, & independentè ab omni decreto attingit illa entia; sive rerum quidditates simpliciter intelligentiâ, tales quidditates essentia, sive entia, aut creaturæ purè, & merè possibiles, considerantur absque ullâ existentiâ. Ergo non possunt esse objectum scientiæ visionis. Minor probatur. Quia non considerantur cum existentiâ intentionali reduplicativè, licet (ut supra visum est) eam in Deo habeant; sed solum specificativè; v. g. essentiam hominis secundum se, essentiam liberi arbitrii, sive Angelici, sive humani, ac proinde essentias, & quidditates actuum liberorum, eorumque occasiones, & circumstantias secundum auxilia sive naturalia, sive supernaturalia quidditativè, & secundum se, &c. Rursus non cognoscuntur hæc omnia secundum propriam & naturalem existentiam quam possunt habere, eam tamen non habent juxta dicta in Quæstionibus de Distinctione inter essentiam, & existentiam creaturarum. Ergo entia, sive creaturæ illæ possibiles, quatenus terminant non extra, sed intra ipsum Deum cognitionem, sive scientiam divinam, quam communiter dicimus simpliciter intelligentiæ, considerantur absque ullâ existentiâ sive intentionali, sive naturali, & propriâ, quæ ad solam scientiam visionis liberæ spectat. Relinquitur ergo, entia illa possibilia ante omne decretum & independentè ab illo, actu cognosci immutabiliter, & necessariò per scientiam necessariam simpliciter intelligentiæ.

33. Sequitur quintò. Ante omne decretum liberum De: saltem terminativè, & in denominando, rationes illas, sive idæas creaturarum, quas ex necessariâ divinæ essentia perfectione Deus præcontinet, esse causas rerum effectivas: ita ut quamvis pro signo ante decretum non intelligamus creaturas ut terminos, & effectus divinæ causalitatis; nihilominus non solum virtus agendi, sed ipsa actio divina actu sit ex parte Dei in illis rationibus, sive idæis. Ratio est. Quia licet creaturæ secundum esse proprium suæ naturæ sint termini & effectus contingentes producti per voluntatem, scientiam, & omnipotentiam Dei: actio tamen producendi creaturas, quatenus se habet sive ex parte voluntatis divinæ, scientiæ, & omnipotentia, quatenus se habet activè ex parte Dei, est perfectio necessariâ. Sed omnis perfectio necessariâ est, & intelligitur in Deo independentè ab omni decreto libero, saltem in denominando. Ergo actualitas agendi sive ex parte scientiæ, sive ex parte voluntatis est Deo omninò necessariâ, ac proinde independens à divino decreto, saltem in denominando. Quæ do-

Illæ divinæ rationes ante omne decretum sunt causa rerum effectivæ.

G

Ætrina

Strina sequenti Præudio magis illustratur.

PRÆLUDIUM IV.

Causalitas divinae Essentiae, & diversus modus attingendi objecta, variis propositionibus expenduntur.

Pluralitas scientiarum quam huc usque dedimus non se habet ex parte Dei, sed solum nostris conceptus.

34. Quamvis Sanctis Patribus, & eorum vestigiis insistentes Theologi communiter doceant, in Deo esse plures rationes, & idæas creaturarum; consequenterque dividant scientiam Dei circa creaturas in scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, in scientiam conditionatam & in scientiam absolutam visionis; in cuius divisionem etiam universa Thomistarum Schola conspirat: certum tamen est, pluralitatem, quam rationibus illis, sive idæis, & scientiæ Dei tribuimus, nullo modo se habere ex parte Dei, cum in Deo ratio representandi & cognoscendi creaturas, unica & indivisibilis sit perfectio: Unde pluralitas earum rationum, ac proinde scientiæ divinæ solum se habet penes diversos nostros conceptus, qui juxta diversitatem creaturarum idæas, sive rationes earum expressivas partim, & divisim apprehendit; & ex diversitate objectorum, sive ex diverso modo ea attingendi, diversos efformamus conceptus, in quibus modo scientiam Dei, prout circa rerum quidditates, & essentias versatur, simplicis intelligentiæ dicimus, & in quantum res in propria naturâ existentes attingit, visionis scientiam appellamus; sicut scientiam conditionatam, prout in creaturas tendit sub conditione futuræ: de cuius Opusculo restant severiori examine discutienda His ita: priusquam in arenam eum Adversariis circa scientiæ mediæ punctum congressuri descendamus, sequentes propositiones proderit observari.

1. Propositio. Scientia Dei necessaria non solum in actu 1. sed in actu 2. est causa rerum contingentium.

35. Prima propositio. Scientia Dei necessaria non solum in actu primo; sed etiam in actu secundo est causa rerum contingentium. Hæc propositio militat ex diametro contra Scholam Thomisticam. & eam communiter propugnant Societatis nostræ Doctores. Pro quibus mens Sancti Thomæ steterit; jus est in Scholasticis armis; vincet, & invalecet, qui poterit. Ante cuius probationem supponendum est id, in quo omnes conveniunt: nimirum scientiam Dei esse rerum omnium causam. Constat primo ex Psalmo 103. *Omnia in sapientiâ fecisti.* Secundo, ex Psalmo 135. *Qui fecit celos in intellectu.* Tertio, ex Epist. ad Ephes. 1.

Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Quarto, ex Divo Dionysio cap. 7. de divinis Nominibus: *Scientia divina omnium est artifex, & semper omnia componit, &c.*

36. Nunc verò probatur propositio: Actio illa, quâ causa creata producit extra suum effectum, est perfectio accidentalis, ut omnes Thomistæ tenent. Ergo actio Dei, quâ Deus sive per scientiam, sive per voluntatem sive per omnipotentiam creaturas extra se producit, est perfectio substantialis. Sed perfectio quælibet substantialis est Deo necessaria, & independens ab omni divino decreto inducenti terminum creatum, sive (quod idem est) independens ab omni decreto quoad denominationem contingentem. Ergo actio, quâ divina scientia causat extra res contingentes, est perfectio scientiæ necessariæ Dei. Ergo scientia Dei, quatenus libera in denominando, non est causa rerum, sed solum quatenus necessaria. Patet consequentia. Quia actu causare creaturas, vel est perfectio in Deo, vel non? Hoc secundum dici non valet: Tum quia in creaturis actu causare, sive producere est perfectio saltem accidentalis. Sed omnis creaturarum perfectio est in Deo, seclusis imperfectionibus: aliâ non esset participata à Deo. Ergo actu producere, sive causare in Deo, sive (quod idem est) actio, quâ Deus agit ad extra, non potest non esse ad extra. Tum etiam quia, ut constat ex disput. de actione creativâ, S. Thomas expressè asserit, actionem creativam activè sumptam, non distingui ab ipso Deo; ut constat ex 2. Sentent. distinct. 1. artic. 2. & ex distinct. 39. artic. 3. Ibi: *Dicendum quod creatio potest sumi activè, & passivè: si sumatur activè, cum creatio significet operationem divinam, quæ est essentia ejus, cum relatione quâdam; & sic creatio est substantia divina, &c.*

37. Ex quibus sic efficaciter arguitur. Unde eff. Constat est apud Thomistas, Divum Thomam in eâ fuisse sententiâ, ut Deus omnia creaverit, & operatus fuerit per intellectum & voluntatem, per scientiam & volitionem. Sed Magister Angelicus expressè docet, creationem, sive operationem divinam, quâ Deus extra producit, esse ipsam essentiam, sive substantiam divinam: essentia autem, & divina substantia sunt perfectiones necessariæ in Deo, & omnino independentes ab omni effectu, & denominatione contingentis. Ergo ad scientiam necessariam Dei pertinet in actu secundo, & exercitè creaturas producere. Si verò dicatur primum: ergo propter eandem rationem solum erit proprium scientiæ necessariæ, & naturalis in Deo causare creaturas. Patet consequentia. Quia quælibet divina perfectio, utpotè actus purissimus, concedenda est Deo independenter ab omni decreto libero quoad denomi-

denominationem, & terminationem liberam ad creaturas secundum suum esse contingens, & naturale.

Rursus probatur propositio ex SS. PP. Dionysio & Augustino.

38. Probatur secundò. Ex pluribus Sanctorum Patrum autoritatibus, quæ scientiæ divinæ perfectionem agendi tribuunt. Primò Sanctus Dionysius loquendo de rationibus, & idæis (in quibus consistit, aut quasi fundatur scientia necessaria creaturarum,) cap. 5. de divinis Nominibus, lect. 13. apud Divum Thomam; sic ait: *Exemplaria esse dicemus in Deo rationes substantificas, existentium prædeterminativas, & effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnia præfinivit, & produxit.* Sic ibi. Tum sic. Super-substantialis essentia non pertinet ad scientiam Dei denominativè liberam, sed solum ad scientiam necessariam. Sed juxta S. Dionysium supersubstantialis Dei essentia actu produxit quæcumque producta, & creata sunt. Ergo in actu secundo creationem agere, & producere solum competit scientiæ necessariæ Dei. Secundò. Huic modo discurrendi consonat Origenes, tomo 1. in Joannem, ibi: *Opinor enim, sicut domus, & navis fabricantur, vel edificantur juxta figuras & formas, mentibus eorum, qui structura præsent, conceptas: domo navis, principium sumentibus ab his figuris, & rationibus, quæ sunt in artifice: Sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes; jam antea à Deo manifestatas in sapientiâ: omnia enim in sapientiâ fecit.* Sic ibi Sapientissimus Origenes, qui ubi benè, nemo meliùs: licet ubi malè, nemo pejus.

Inde rationes in Adversarios efformo.

39. Tum sic. Universa facta sunt juxta rerum rationes antea à supremo, & infinito Artifice manifestatas: quemadmodum domus, & navis factæ sunt juxta rationes & Idæas in mente artificis creati formatas. Sed rationes quas in suâ sapientiâ manifestavit Deus ad rerum futurarum fabricam, non sunt contingentes in essendo, nec liberæ; sicut sunt rationes, & idææ artificis creati. Ergo res futuras ad extra fabricare, pertinet sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ exemplaris, & directivæ ad rationes creaturarum expressivas, quæ sunt necessariè in Deo, ac proinde ad scientiam necessariam. Nec obstat, quod Origenes dixerit, rationes illas esse rerum futurarum, res autem futuras in scientiâ necessariâ non esse. Quia aliud est, res futuras non fuisse repræsentatas in essentiâ divinâ, & in illis rationibus, sive Idæis specificativè independentè ab omni decreto in denominando: & aliud, res futuras ut futuras non repræsentari in essentiâ divinâ ante propositum voluntatis divinæ. Hoc secundum est verissimum: aliàs res futuræ, & quæ existunt in tempore, producerentur à Deo necessitate naturæ: quod implicatorium & absurdissimum est. Primum verò est procul dubio

Theol.

falsum. Quia Deus omnia quæcumque fecit, præsentia, præterita, & futura prænovit independentè ab omni decreto, & proposito divinæ voluntatis determinativè, sive inferenti creationem mundi, & futuritionem creaturarum: aliàs sicut per decretum advenit, & contingit existentia & creaturarum futuritio: sic per decretum adveniret & contingeret Deo perfectio cognoscendi creaturas, quas per ipsum decretum operatur: fieretque Deum per decretum, aut post decretum scire, & ante decretum ignorare, quæcumque per decretum fiunt aut futura sunt: quod dicere, à viris Catholicis absit. Ut ergo Deus rerum futurarum scientiam perfectissimam necessariò habeat, sufficit quod res per decretum futuræ habuerint esse intentionale & intelligibile in Deo juxta ea, quæ in Præludivis antelapsis præscripsimus. Ratio est. Quia scientia propriè non est de existentibus, ut existentia sunt in propria naturâ: nec contingentibus, ut contingentia sunt; nec de futuris, ut futura sunt: sed solum de existentibus, contingentibus, & futuris secundum esse intelligibile & intentionale, quod habent in intellectu sapientis. Jam verò cum omnia præsentia, præterita, & futura specificativè sumpta, ante & independentè ab omni decreto habeant esse essentiâ divinâ, ut ab ipsis imitabili, sive in illis rationibus, & idæis, de quibus Sancti Patres clarè loquuntur, in illisque quasi in medio ea omnia Deus præciverit, atque prænovit nnumquodque juxta conditionem, & quidditatem suæ naturæ; evincitur planè, Deum de illis habere scientiam necessariam, eamque esse causam rerum non solum in actu primo, ut Adversarii docent; sed etiam in actu secundo.

40. Firmatur ulterius prædicta ratio autoritate Magni Augustini lib. 12. de Civitate Dei, sic discurrentis: *In una Dei sapientiâ esse immensos quosdam, atque infinitos thesauros rerum intelligibilium. In quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rerum etiâ visibilium & mutabilium, quæ per istam facta sunt: quoniam Deus non aliquid nesciens fecit: quod nec de quolibet Artifice rectè dici potest: Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat.* Hæc Sanctus Doctor. Unde pro eadem veritate hunc efformo discursum. Ex Augustino ea scientia in Deo est causa rerum in actu secundo, per quam res visibiles, & mutabiles factæ sunt. Sed talis scientia non est visionis, nec approbationis, quæ dicitur scientia libera. Ergo erit scientia necessaria. Major constat. Minor probatur. Quia scientia aut sapientia, in quâ sunt immensi & infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque immutabiles rationes rerum, est, per quam factæ sunt res visibiles, & mutabiles. Sed scientia sive approbationis & visionis

Firmatur exarata ratio ex a. Aug. l. 12. de civ. Dei

G 2

ut

ut talis est, non continet infinitos illos, & imensos thesauros rerum intelligibilium, nec potest esse rerum omnium scientia. Ergo. Probatur minor. Quia scientia visionis, sive approbationis solum est scientia eorum quae approbat, & videt existentia pro suis temporis differentiis. Sed scientia visionis in Deo nec approbat, nec videt illos imensos, infinitosque thesauros creaturarum, sive rerum intelligibilium in aliqua differentia temporis existentis: ut est certum. Ergo solum erit scientia necessaria, quae dicitur simplicis intelligentia.

Probatur
3. propo-
sicio ex
Aug. D.
q. 2. de
verb. a. 24
in corp.

41. Probatur tertio ex Divo Thomâ quaest. 3. de Verit. artic. 24. in corpore. Ibi: *Inter scientiam Dei, quae est causa rei, & ipsam rem creatam, invenitur duplex medium: unum ex parte Dei; scilicet divina voluntas: aliud ex parte ipsarum rerum, quantum ad quosdam effectus causa secunde, quibus mediantebus proveniunt res à scientiâ Dei.* Sic Sanctus Doctor. Ex quibus ratiocinium etiam hoc facile contra Thomistas produces. Illa scientia Dei est causa rei in actu secundo, inter quam, & ipsam rem mediat divina voluntas, sive liberum divinæ voluntatis decretum. Sed inter scientiam approbationis & visionis, & rem creatam non mediat talis voluntas; aut decretum. Ergo. Major constat. Minor probatur. Quia scientia approbationis, & visionis vel sequitur ipsam Dei voluntatem, vel per respectum ad decretum efficax denominatur talis, &c. Ut ex communi Thomistarum sensu docet Magister Gonet disput. 3. de Causaliitate scientiæ Dei, artic. 2. Sed nihil potest esse medium respectu illius quod vel aliquâ ratione posterius est ipso, vel saltem per ipsum in ratione talis existit. Ergo scientia, inter quam & rem creatam mediat divina voluntas, non potest esse approbationis, neque visionis. Igitur erit scientia necessaria simplicis intelligentiæ, ac proinde ex Divo Thomâ hæc erit causa rerum.

4. ex hoc
dilemate.
Quia vel
scientiam vi-
sionis ad-
dit aliquid
actualita-
tis divinæ
ad scientiâ
Dei neces-
sariam vel
non.

42. Probatur quarto efficaciter, Quia scientia approbationis, & visionis, ut talis est, vel addit aliquid actualitatis divinæ ad scientiam necessariam Dei, vel non addit? Si primum: ergo scientia necessaria creaturarum in Deo non erit purissimus actus in ratione agendi, & operandi: ac proinde habebit rationem potentialitatis admixtam: quod Thomistarum principiis maximè, & merito dissonat. Si secundum: ergo scientia necessaria erit causa rerum non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo. Patet consequentia. Quia ea scientia, in qua stat, vel est actus purissimus operandi creaturas, est causa illarum in actu secundo. Sed talis est scientia necessaria Dei.

5. & 6.
Ergo hæc
eadem pro-
positio
tuadetur,

Ergo hæc erit causa futurarum in actu secundo.
43. Probatur quinto. Quia posita co-

existentiâ divini decreti, scientiæ necessariæ, & creaturarum existentium, aut futurarum, perfectissimè accipitur ex parte voluntatis, & scientiæ necessariæ Dei causalitas creaturarum absque eo, quod quidquam superaddatur scientiæ necessariæ Dei: quodcumque enim additamentum implicat perfectioni infinitæ necessariæ Dei. Probatur sexto. Quia quod scientia Dei dicatur libera, approbationis, & visionis, sunt denominationes contingentes, quæ potuerunt Deo deficere, & ejus scientiæ necessariæ. Casu enim, quod Deus noluisse ullam creaturam producere, certè scientia necessaria Dei non denominaretur libera, nec approbationis, aut visionis, cum deficienti existentia naturali creaturarum, omninò deficeret effectus ad extra libertatis divinæ, approbationis divinæ, ejusque divinæ visionis, quo deficiente, nullum superest nobis fundamentum, ut Deo, ejusque voluntati, & scientiæ tribueretur denominatio liberi volentis, approbantis, aut videntis creaturas. Sed scientia Dei non potest habere perfectionem cauſandi in actu secundo à denominatione formaliter contingenti, & defectibili. Ergo perfectio cauſandi creaturas in actu secundo, solum potest se habere ex parte scientiæ necessariæ, & nullo modo ex parte illius, in quantum denominatur approbationis aut visionis.

44. Probatur septimò. Quia ex dictis de voluntate Dei, Deum esse actualissimè liberum ad ponendas, vel non ponendas extra se creaturas, nullo modo est contingens, & perfectio æquè necessaria, ac est in Deo potentia necessaria ad producendum Verbum Divinum; quo principio supposito, efficaciter propositio nostra suadet. Volitio necessaria Dei ex plenitudine sui domini & potestatis est causa rerum in actu secundo absque eo quod ei superaddatur aliquid perfectionis ad producendum actu creaturas. Ergo scientia necessaria Dei erit causa rerum in actu secundo absque aliquo alio superaddito: Cum nullum aliud se excogitabile, per quod volitio necessaria, & scientia necessaria constituantur in ratione actu operandi creaturas: etenim terminationes illas liberas, aut denominationes, quas Magister Gonet, & Recentiores Thomistæ meditantur ad explicandos actus liberos Dei, absque ullo fundamento, & necessitate Scholæ Divi Thomæ intrusas, efficaciter præclaro Opusculo, Deo dante, probavimus. Denique cum scelus verborum offensus, & involueris, re ipsâ in totâ hac rerum serie nihil sit invenire præter Deum, & creaturas; coexistentiaque illorum solum dicat existentiam Dei, & suarum perfectionum omninò necessariam, & existentiam creaturarum omninò contingentem; cum hæc sit purè extrinseca, & omninò extranea Deo: Cum

Quæ
Deus esse
actualissi-
mè liberè
ad ponendas
vel non
ponendas
extra cre-
aturas est
perfectio
necessaria

Cum intellectus noster per ea quæ facta sunt, invisibilia, & necessaria Dei cognoscat; nullum profectò fundamentum deprehendit ad tribuendum Deo aliquid, quod sine in ratione actu operandi, sive in ratione actu volendi, & sciendi, &c. non sit ei omninò necessarium. Mitto alia pro veritate hujus propositionis omninò videnda in nostris Doctoribus contra Scholam Thomisticam.

Aliqua pro argumentis solvendis notantur.

45. Ut ergo satis eorum argumentis fiat, unum, vel alterum nota. Primum, non esse idem, volitionem necessariam, & scientiam Dei necessariam esse in actu secundo causas rerum, ac necessariò eas causare. Tum quia in Deo est actualissima potestas agendi, & non agendi omninò absoluta, & omninò independentens à creaturis, quas ponit, vel non ponit in rerum naturâ, vel quas potest producere, & non producere de nihilo extra causas juxta placitum, & propositum suâ voluntatis: Tum quia tota contingentia se habet ex parte creaturarum, quàm oculatissimi Theologi est nullo modo refundere in Deum. Alterum erit intellectum nostrum ex limitatione suâ virtutis plures conceptus efformare de Deo, ex quibus resultant variaz denominationes, quibus Deum nominamus: quamvis denominationes plures Recentiores falso præjudicio ex non satis penetratâ principiorum connexionione, ut intrinsecas Deo affingant, quæ si observentur, facile constabit, rationes Thomisticas aut purâ æquivocatione laborare, aut nullum nobis negotium facessere; pluresque Sanctorum Patrum autoritates facilem sensum obtinere.

46. Propositio secunda. Deus suâ divinâ scientiâ nò cognoscit creaturas sive purè possibilis, sive conditionatè, sive absolute futuras, sive existentes immediate in se ipsis; sed quæcumq; scit, & cognoscit, ea in suâ divinâ scientiâ attingit, & cognoscit. Hujus propositionis veritas receptissima est inter plures Theologos tam antiquos, quàm modernos; multorum Sanctorum Patrum autoritate munita cum Doctore Angelico. Probat primò, Ex Sancto Dionysio cap. 7. de divinis Nominibus, ibi: *Deus ea, quæ sunt, cognoscit, non eorum scientiâ, sed sui ipsius, nec habet propriam, & separatam sui notitiam: Alterum verò rerum creaturarum, sed per scientiam, quam habet de se ipso, res omnes alias cognoscit. non secundum visionem singulis se immitit, sed secundum causæ continentiam scit omnia.* Et hujus rationem ibidem assignat: *Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse trãdidit, secundum eandem causam scit omnia, & non ex existentibus sumet eorum cognitionem.* Sic ibi. Certè ad propositionis probationem nihil clarius, nec ullâ formâ syllogisticâ explicatione indigenis.

47. Pro eadem veritate stat Magnus Augustinus Tract. in Symbolum cap. 1. *Licet omnia celestia, terrestria, ac minima quæque proficit Deus, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur.* Et lib. 83. quæstion. quæst. 46. ait: *Sacrilegum est asserere quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum.* Quæ verba, & suam mentem Sanctus Thomas 1. part. quæst. 14. artic. 5. ad 1. luculentissimè expressit. Ibi: *Ille verba Augustini dicentis, Deum nihil extra se cognoscere, sic esse intelligenda; non quasi Deus nihil quod sit extra se, intueatur; sed quod id, quod est extra se ipsum, non intueatur nisi in se ipso.* Et in fine corporis eodem artic. sic habet. *igitur dicendum est quod Deus seipsum videt in se ipso; alia autem à se, videt non in ipsis, sed in se ipso.* Hæc doctrina ut melius intelligatur, exemplo esse potest modus, quo potentia nostra visiva videt Petrum extra se, & in se ipso; & quo videt in specie speculi. Cum videt Petrum in se ipso, & immediate extra se, visus fertur extra se in Petrum; & hic est proprius modus videndi, & cognoscendi rem immediate in se ipsâ: quem modum videndi & cognoscendi rem immediate in se ipsâ, Deo tribuere, merito asserit Sanctus Augustinus; sacrilegum esse, propter dependentiam, & imperfectionem, quam in se involvit. Alter verò modus, quo visus ipsum Petrum mediante specie speculi impressâ, in quâ ei representatur, licet plurius sit admixtus imperfectionibus, propius accedit ad explicandum aliquammodo, quo Deus ea, quæ sunt extra se, videt, non quidem extra se, sed in se ipsos.

48. Ratio est. Quia cum visus videt Petrum representatum in speculo, negari non potest, videre Petrum, qui in suâ propria naturâ existit extra speculum; at non videt Petrum immediate extra speculum, sed intra illud. Jam verò cum divinâ essentia sit speculum, & veluti infinita species omnium intelligibilium, dicimus omnia intelligibilia, quæ in ejus essentiâ, rationibus, aut idæis representantur, videri quidem à Deo non immediate in se ipsis; sed ejus divinâ essentiâ mediante, sive in se ipsâ, Nec inde inferas, per hoc solum probari, Deum dumtaxat videre se ipsum: cum substantialis expressio, & similitudo omnium intelligibilium sit ipse Deus: Illatio enim hæc falso præjudicio laborat: quia sicut visus Petrum in speculo cernens, non solum videt speciem illam, seu medium expressivum Petri; sed etiam ipsum Petrum, qui est extra speculum, quamvis illum, ut dictum est, non videat in se ipso immediate extra speculum: sic Deus videns in suâ essentiâ ut infinite imitabili rationes illas, & idæas omnium intelligibilium expressivas, non solum eas videt, sed illis mediantibus, &

Unde ratio elevat ad illud immutabile divinæ essentia speculum.



& in earum medio omnes creaturas sive possibiles, sive existentes, sive absolute futuras, sive conditionate futuras, juxta modum sequenti propositione explicandum.

Varis rationibus eadem propositio probatur.

49. Potest à ratione propositio secundò probari. Primò. Quia eodem modo Deus intelligit creaturas quo repræsentantur intellectui divino. Sed creaturæ non repræsentantur in se ipsis, sed mediatè, & in alio. Ergo. Probatur minor. Quia species, quæ divinus intellectus intelligit, est divina essentia. Sed hæc Deo per ipsam intuitivè repræsentato repræsentat creaturas. Ergo Deus se ipsum intelligendo in divinâ essentia, in hac tanquam in medio creaturas exprimentis, ipsas cognoscit. Secundò. Quia modus cognoscendi creaturas non immediatè in se ipsis, sed mediatè, & in divinâ essentia, longè nobilior & perfectior est. Propterea dixit Magnus Augustinus lib. II. de Civit. Dei cap. 7. Ibi; *Cognitio creatura in se ipsa decolorator est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte per quam facta est.* Tertiò. Quia, ut latè ostendimus in prævio Opusculo de modo intelligendi, de distinctione, & præcisionibus objectivis, & unitate universalis, intellectus noster saltem pro hoc rerum statu non cognoscit, imò non potest cognoscere res naturales in se ipsis immediatè, & ex necessitate intelligendi format verbum, sive conceptum, in quo attingit, & cognoscit rem immediatè, cujus est expressio, & similitudo tale verbum: idque ex multiplici capite probavimus; illo præsertim, quod res materiales propter suam materialitatem non sunt proportionatè immaterialitati, & spiritualitati intellectus. Sed distantia proportionis inter Deum & creaturas, longè & infinite major est, quam ea, quæ inter nostrum intellectum, & res naturales intercedit. Ergo non potest Deus cognoscere & scire creaturas in se ipsis immediatè. Quartò. Quia ex objecto, & potentia paritur notitia. Sed impossibile est, Deum accipere notitiam, aut speciem ab ipsis creaturis ad intelligendum. Ergo solum potest eas cognoscere, mediante divinâ essentia, quæ se habet veluti species infinita, & perfectissima omnium creaturarum: Si ergo species Petri speculo impressa est medium in quo videtur, & apparet Petrus potentia visiva, nulla erit ratio denegandi hoc essentia divinæ. Unde si sensus, & mens Sanctorum Patrum, hujusque doctrinæ principia rectè penetrantur, vix erit aliquid in contrarium, quod quæstionem de puro nomine transiliat, sive pertranseat.

Propositio 3. Essentia divina est medium cognoscendi creaturas sive

50. Propositio tertia. Essentia divina est medium cognoscendi creaturas sive possibiles, sive existentes, & absolute, sive conditionate futuras; alio tamen, & alio modo: nam respectu purè possibilium se habet ut medium cognoscendi eas necessariò inde-

pendenter ab omni decreto libero deterrabile, minanti existentiam, aut futuritionem creaturarum. At respectu creaturarum existentium non se habet ut medium necessarium; sed solum ut medium voluntariū, & liberum. Ex dictis supra facillè exhibetur ratio primi. Quia essentia divina ante & independentè ab omni decreto actu inferenti, & determinanti creaturis existentiam, aut futuritionem, habet necessariò esse imitabilem, & participabilem à creaturis; & ex vi infinitæ representationis habet rationes, & ideas omnium creaturarum possibilium; ut ex communi Theologia, & unanimi Sanctorum Patrum consensu supra demonstravimus. Sed non potest Deus attingere, & cognoscere necessariò suam essentiam ut imitabilem à creaturis, & ut medium expressivum earum, quin eas necessariò attingat secundum earum quidditates, & secundum naturam & conditionem uniuscujusque creaturæ. Ergo respectu creaturarum secundum se, & secundum earum essentias essentia divina est medium cognoscendi eas. Ratio secundi. Quia creaturæ non habent existentiam propriam suæ naturæ, nec futuritionem ex necessitate, sed solum ex plenissima potestate, & dominio divinæ voluntatis. Ergo respectu creaturarum existentium, & futurarum non se habet ut medium necessarium; sed solum voluntarium, & actu liberum, in quo eas extra se existentes, cognoscit non quidem immediatè in se ipsis, sed in suâ divinâ essentia juxta dicta in præcedenti propositione. Patet consequentia. Quia Deus non potest cognoscere, creaturas existere secundum propriam existentiam nisi in medio determinanti earum existentiam. Sed hoc medium non potest esse divina essentia independentè à divino decreto determinanti, aut præfinitenti creaturarum existentiam. Ergo medium, in quo Deus hujusmodi creaturas existentes cognoscit, solum potest esse divina essentia ex proposito suæ voluntatis, sui que supremi domini determinanti, aut præfinitenti earum existentiam, vel futuritionem.

51. Propositio quarta. Quamvis Deus cognoscat creaturas existentes secundum esse proprium, & formaliter contingens scientia necessariæ in essentia divina præfinitenti earum existentiam; per hunc modum cognoscendi nihil novum advenit Deo, nec ulla perfectio in ratione cognoscendi creaturas, quam non præhabuerit in suâ essentia divinâ independentè à decreto existentiam, aut creaturarum futuritionem præfinitenti. Hæc propositio, si rectè ejus termini apprehendantur, videtur certissima. Probatur primò. Quia plenissimum & actuale dominium Dei non est ad ponendum, vel non ponendum ullam perfectionem in Deo sive in ratione scientiæ, sive in ratione voluntatis, sive in

Propositio 4. Deus creaturas existentes cognoscens nullâ sibi addit perfectionem in ratione cognoscendi, quâ non præhabuerit in suâ essentia divina ante omne decretum.

ratione cujuscumque alterius attributi: sed solum ad ponendum, vel non ponendum extra causas, & in propriâ naturâ creaturas, quas in suâ essentiâ necessariò præcontinet, & in eâ tanquam in medio necessariò prænovit; ita ut terminus & quasi objectum proprium divinæ voluntatis, ejusque plenissimi & actualis domini solum sit existentia contingens creaturarum. Sed per hoc, quod ponatur, vel non ponatur extra Deum existentia contingens creaturarum, nulla novitas inducitur Deo, nullaque perfectio ei advenit in ratione scientiæ aut cujuscumque alterius attributi. Ergo per hunc modum cognoscendi creaturas existentes, aut futuras, nulla perfectio, nullaque novitas Deo, ejusque perfectissimæ scientiæ advenit: sed tota novitas orta ex contingenti creaturarum productione, in creaturas re-fundi necesse est. Major est certa, Quia, ut constat ex Opusculo de Actu libero Dei, olim à nobis elaborato, & in publicis disputationibus propugnato; Deus non est liber indifferentiâ domini ad habendum, vel non habendum suum actum liberum, nec ad habendum, vel non habendum actum ullum divinæ scientiæ; sed solum ad ponendum, vel non ponendum; ad producendum, vel non producendum creaturas extra se in suo esse proprio, & naturali, tanquam proprium terminum & effectum suæ libertatis, ex cujus perfectissimo, & actuali dominio omnia quæcumque voluit, fecit, & potuit facere, & non facere, contingentiâ se habente ex parte creaturarum, & nullo modo ex parte Dei. Minor vero efficaciter probatur. Quia cum Deus sit sibi sufficientissimus & perfectissimus absque ullius entis creati dependentiâ, etiamsi deficeret (ut pro suo libito potuit deficere) hujus mundi, & ejus creaturarum existentia, æquè perfectissimus, & cum omni suarum perfectionum cumulo maneret, ut nullus sanæ mentis Theologus diffidet. Ergo in tali casu tantum sciret, quantum modò scit: aliàs Deus ignoraret ex non existentia creaturarum, quæ, posita tali existentia scit, & cognoscit. Hoc autem quis non videat ex ipsorum terminorum primâ apprehensione, absorum & absurdissimum esse. Tum sic. Sed in tali casu non sciret, nec cognosceret existentiam, & absolutam creaturarum futuritionem. Ergo per hunc modum cognoscendi, creaturas existere in propriâ naturâ, earumque futuritionem absolutam, nihil novi advenit Deo, nec ulla perfectio ipsi noviter inducitur.

Dein aliâ ratione probatur eadē propositio.

52. Probatur secundo præjacta propositio. Quia tota hujus mundi visibilis series, ordoque causarum sive contingentium, sive necessariarum, earumque effectuum, actuum liberorum secundum omnes circumstantias, congruentias, occasiones, &c. ha-

bent, & habuerunt esse intentionale, & intelligibile in essentiâ divinâ, in ejusque rationibus, & idæis: ita ut omnia quæ fecit, & infinita alia, quæ non fecit, & potuit facere, Deus prænovit, ut ex communi Theologiâ, & unanimi Sanctorum Patrum consensu supra probavimus; ita ut eorum omnium, quæ à principio mundi hætenus contigere, & in ejus usque finem contingent, perfectissimam scientiam necessariam habuerit. Hæc autem nullatenus deficeret, quamvis mundus, illiusque rerum ordo & series deficeret secundum esse physicum & naturale propriæ naturæ. Ergo per existentiam creaturarum, nec accrescit Deo aliqua scientiæ perfectio, nec ulla Deo inducitur novitas, nec ex earum defectu ulla posset Deo ignorantia tribui. Major patet. Minor verò suadetur, Quia, ut supra ostendimus, præsens hæc mundi machina, & omnia, quæ subtilius ordine contingunt, habent duplex esse; aliud intentionale, & intelligibile in essentiâ divinâ, cujus virtute Deus scientiâ necessariâ & simplici quâdam intelligentiâ ea omnia certò, & clarè cognoscit: quod quidem esse intentionale, & intelligibile est omnino necessarium, ut potè fundamentum in necessariâ, & infinitâ perfectione essentiæ divinæ. Habent & aliud esse physicum & naturale in tempore, ex ipsâ hujus mundi creatione: quod quidem esse est formaliter contingens. Sed esse formaliter necessarium, & indefectibile, non potuit unquam deficere ex defectu essendi, sive existentie formaliter contingentiæ. Ergo scientia necessariâ de iis omnibus, quæ contingenter fiunt in mundo nunquam deficeret, etiamsi eorum existentia physica, & naturalis formaliter contingens deficeret.

53. Probatur tertio. Quia existentia naturalis & formaliter contingens creaturarum nihil superaddit perfectioni scientiæ necessariæ simplicis intelligentiæ, quam Deus habet de creaturis, quas independenter ab omni decreto in medio suæ divinæ essentiæ cognoscit; nec talem scientiam immittit, aut immutat. Ergo existentia naturalis, & formaliter contingens creaturarum nihil addit nec immutat objectum talis scientiæ in ratione scibilis & intelligibilis. Ergo per hunc modum cognoscendi creaturas existentes, aut futuras, nihil novi advenit Deo, nec ulla ejus divinæ scientiæ accrescit perfectio. Consequentia verò hæc multipliciter probatur primò. Quia non immutatis scientiâ Dei necessariâ, & ejus objecto in ratione scibilis, & intelligibilis, nullum est caput, ex quo scientiæ Dei aliqua perfectio accrescat ex existentia naturali, & formaliter contingenti creaturarum. Ergo. Probatur antecedens. Quia si aliqua ratio esset immutandi divinam scientiam: maximè quia creaturæ transeunt de objecto necessario in objectum contingens

3. Quia contingens creaturarum existentia non immutat objectum scientiæ necessariæ Dei ac proinde nec modus ita cognoscendi scientiæ immutabit.

contingens

contingens formaliter per earum productionem, ex ejus transitu variari objectum, necesse est: cum objectum formaliter contingens, & formaliter necessarium sint diversa objecta: scientia autem variatur juxta mutationem, & variabilitatem objecti. Sed hæc aliquorum imaginatio deludit potius, quam urget. Ergo. Minorem probo per suas partes in sequela majoris inductas. Primo. Quia objectum necessarium, & æternæ veritatis nunquam transit, nec in suo esse intelligibili immutari potest; ut ex ipsis terminis patet. Sed creaturæ quatenus intelliguntur in essentia divinâ, in ejusque rationibus, & idæis, independentem ab omni decreto eas præfinienti, sunt objectum necessarium. Ergo falsum est, creaturas per earum productionem transire de objecto necessariò in objectum formaliter contingens.

Parfa
ratio ultra
promove-
tur.

54. Secundo. Quia necessitas, aut contingentia objecti in ratione scibilis, aut cognoscibilis mensuratur secundum illud esse quod habet in medio, in quo cognoscitur: quia quod non est, non cognoscitur. Sed esse, quod habent creaturæ in Deo, est omninò necessarium, & immutabile; necessarium autem incapax est cujuscumque mutationis, aut transitus. Ergo. Minor hæc probatur. Quia (ut constat ex primo Præliquo) esse intentionale, quod habent creaturæ in Deo est ipsa divina essentia, in quantum est similitudo, & species infinite expressiva omnium intelligibilium: sicut esse intentionale, quod habet Petrus in specie sui immisâ, & impresâ speculo, est ipsamet species, quæ nobis apparet ipsius Petri expressiva, ratione cujus verè dicimus, Petrum esse intentionaliter in speculo. Sed divina essentia est omninò necessaria, & immutabilis. Ergo creaturæ, prout simplici quâdam intelligentiâ intelliguntur in essentia divinâ, tanquam in medio earum expressivo, sunt objectum omninò necessarium, immutabile, & invariabile. Jamverò major illa secundæ probationis, quod scilicet necessitas, & consequentia objecti mensurentur secundum esse, quod habent in medio, in quo cognoscuntur, videtur certa. Tum quia verissimum est principium illud animasticum, intelligibile debere esse in actu, ut possit objectum cujuscumque potentia: nam quod nullo modo est, nullo modo cognoscitur. Tum quia ideo Petrus perfectius, & magis permanentem videtur à nostrâ potentia visivâ in se ipso, & extra speculum, quàm dum in speculo, aut intra speculum apparet: quia esse, quod habet Petrus in se ipso, ut potè proprium, & naturale perfectius, & stabilius est, quàm esse illud intentionale, quod habet in speculo, aut figurâ speculi: quia hoc esse cum non sit fixum, & ratum in naturâ, solumque consistat in specie illâ accidentali, & intentionali, quæ (ut experientia ostendit) quâ-

cumque Petri declinatione ab speculo, confestim evanescit.

55. Ex quo principio omnia, quæ in hac tertiâ probatione produximus, ulterius firmari possunt. Primò. Quia ultra dubium est, creaturas perfectius esse habere in Deo, ejusque essentia divinâ, quàm in se ipsis: quia illud est substantiale; illud autem accidentale, juxta dicta suis locis circa existentiam creaturarum: Istud est omninò necessarium; hoc autem formaliter contingens, & omninò defectibile. Cum ergo perfectio objecti in ratione scibilis, aut cognoscibilis mensuratur secundum esse, quod habet in medio, in quo cognoscitur; evincitur planè creaturas perfectiori modo cognosci in divinâ essentia, quàm in se ipsis: quapropter diximus supra, Deum non videre creaturas posibles, sive futuras, sive existentes in se ipsis. Et ulterior ratio potest esse. Quia cum creaturæ in se ipsis solum habeant esse contingens, & formaliter defectibile: impossibile est, Deum eas in se ipsis cognoscere; cum medium formaliter contingens, formaliter defectibile indignum sit, imò impliatorum respectu scientiæ perfectissimæ, & necessariæ Dei.

56. Secundo. Quia licet ex creatione mundi, & existentia creaturarum in tempore, resultent contingentia, mutabilitas, & aliquid novum in tempore, quod ab æterno non fuit: cum totum hoc se habeat ex parte creaturarum in tempore: nihil novum resultat comparative ad scientiam Dei. Ratio est. Quia Deus prænovit ab æterno independentem ab omni decreto præfinienti, hanc rerum contingentiam, temporum eventus, causas necessarias, & liberas, effectus necessarios, & contingentes, actus etiam liberos Angelorum, & hominum, eorumque libertatem, & contingentiam sub quâcumque hypothese, aut conditione, in quibus absque contradictione considerentur à nobis; quin hæc creaturarum contingentia sive in essendo, sive in operando obtinere aut contraire possit infinitæ perfectioni necessariæ Dei. Ergo ex novâ & temporaneâ rerum contingentium existentia, nullatenus inducitur, nec inferitur aliquid novum comparative ad scientiam perfectissimam Dei. Probatum antecedit. Quia Deum esse supremum, & perfectissimum Artificem factibilium, est perfectio ipsius necessaria, ut una & concors est Sanctorum Patrum sententia, de quibus supra. Sed omnis perfectio necessaria competit Deo independentem ab omni decreto præfinienti creaturarum productionem. Ergo Deus independentem ab omni decreto præfinienti est supremus, infinitus, & perfectissimus artifex. Tum sic. Sed ut in superioribus ostensum est, de ratione supremi infiniti, & perfectissimi Artificis est, in se præhabere infinitas rationes, aut idæas eorum omnium quæ

Creatura
autem per
fectius est
se habent
in essentia
divinâ,
quàm in
se ipsis.

Ex creat.
one mu-
di, & crea-
turâ re-
sultat
essentia
nihil novi
resultat
compara-
tive ad sci-
entiam Dei.

quæ ab ipso fieri possunt. Ergo Deus ut supremus artifex independenter ab omni decreto præfinitenti prænovit hanc rerum contingentiam, temporum eventus, causas necessarias, liberas, earum actus, &c. Quæ omnia potuit facere, & pro libito suæ voluntatis fecit; & insuper infinita alia, quæ potuit facere, noluit tamen, ut fierent. Patet consequentia. Tum quia cum infinitas illas rationes & idæas factibilium expressivas, sibi præfinites necessario habeat, nõ potest non intelligere, & scire necessario in illis omnia factibilia. Tum etiam quia si independenter ab omni decreto creaturas præfinitur, eas non præsciret, & modo dicto prænosceret, fieret, ut cæco modo, & ignoranter ad hujus mundi fabricam processisset. Cujus ratio est. Quia etsi per liberum Dei decretum præfinitur creaturæ, nulla tamen ipsi Deo præfinitur, nec præfinitur potest perfectio scientiæ divinæ. Ergo si Deus independenter ab omni decreto præfinitenti nõ præsciret & prænosceret ea omnia, quæ per decretum aut fiunt, aut fieri decrevit, Deus cæco modo, & ignoranter ad opus, & creaturarum fabricam processisset, quod vel ab artifice creato merito alienissimum reputamus.

57. Jam verò secunda illius antecedentis pars, quod scilicet hæc creaturarum existentium contingentia sive in essendo, sive in operando, non possit obstare, nec contrariè infinitæ perfectioni scientiæ Dei necessariæ, potest multipliciter ostendi. Primò. Quia res ex sua naturâ contingentes, & libere, possunt certò & absque ulla contingentia cognosci, si detur medium necessarium earum expressivum, in quo habeant esse intentionale, & intelligibile. Sed essentia divina, sive rationes vel idææ, quas in eâ cum fundamento meditatur, & Deo tribuimus, sunt medium expressivum omnium contingentium, & liberorum: aliàs Deus respectu contingentium, & actuum liberorum non esset supremus, & perfectissimus artifex; cum eorum rationes, & idæas non præcontineret. Ergo. Ostenditur secundò ex verissimo illo principio, quod Angelicus Doctor expendit ex præclarissimo Theologo Boëtio; nimirum necessitatem, & certitudinem scientiæ & cognitionis non esse regulandam secundum facultatem, & cognoscibilitatem rei cognitæ; sed solum secundum facultatem & conditionem potentia cognoscentis: Cujus principii veritatem pro hæc, & hujusmodi controversiis utilissimam, Sanctus Doctor luculenter illustrat supra Boëtium de consolat. lib. 5. prosâ 4. Ibi: *Notandum, quod ex litterâ formatur talis ratio; Omnis actus & operatio sequitur conditionem illius potentia cuius est actus, & operatio. Sed judicare & cognoscere est actus & operatio potentia cognoscentis, & non rei cognitæ. Ergo cognoscere & judicare sequitur modum & conditionem potentia cognoscentis.* Incujus pro-

Theol.

batione adducto exemplo sic discurrit, ibid. *Notandũ, quod simile est iudicio sensus & imaginationis respectu rationis, et rationis respectu illius intelligentie divinæ; nam sensus & imaginationi videtur, quod ratio aliter non possit cõprehendere nisi sicut ipsa cõprehendit; quod tamen falsum est. Sic similiter videtur rationi humana, quod intelligentia divina non possit res incertas cognoscere aliter quàm ipsa cognoscit: quod falsum est. Nam quæ ratio humana incertè cognoscit, intelligentia divina certò cognoscit.* Ex quibus ad rem propositum Angelicè concludit: *Ibidem: Quod si cognitio sequeretur facultatem rei cognitæ, & non virtutis cognoscentis; tunc sicut ratio humana cognoscit futura contingentia incertè; sic similiter intelligentia divina incertè cognosceret; sed quia facultas cognitionum est secundum facultatem virtutis cognoscentis; & intelligentia divina in cognoscendo excedit rationem humanam, poterit ipsa certè cognoscere, quæ ratio humana incertè cognoscit.*

58. Ex hoc Divi Thomæ principio, quamvis nullâ aliâ eget explicatione, hoc potest confici ratiocinium. Deus prænovit hanc mundi machinam secundum causas liberas, & necessarias, & secundum actus, aut effectus earum sive necessarios sive contingentes, & liberos, independenter ab omni decreto ea omnia præfinitenti, quantum ad eorum esse, sive existentiam physicam, & naturalem. Sed scientia Dei non prænovit hujusmodi machinam secundum modum & conditionem rei cognitæ: sed solum secundum facultatem & modum virtutis cognoscentis. Ergo quamvis hæc mundi machina ex sua qualitate sit, & fuerit contingens ad esse, & non esse physicum, & naturale; & plures ejus causæ non solum contingentes ad esse, & non esse naturale; sed etiam ad operari, & non operari juxta uniuscujusque modum, & conditionem; scientia tamen Dei non prænovit, nec præscivit hæc omnia contingenter, sed necessariò; nec incertè, sed certissimè. Major & minor ex dictis constant. Consequentiam verò efficaciter probo. Scientia Dei non prænovit ea omnia secundum modum, & conditionem rei, sive objecti cognitæ; sed solum secundum virtutem cognitionis, quæ consistit in essentia divinâ quæ est medium cognoscendi, & in intellectu divino, qui est potentia & facultas prænoscentis. Sed essentia divina est medium necessarium, & certissimum cognoscendi, similiterque intellectus divinus est facultas, & potentia certissimè, & necessariò cognoscitiva. Ergo quamvis hæc mundi machina, ejusque rerum series sit, & fuerit contingens ad esse, & non esse physicum, & naturale, & plures ejus causæ non solum contingentes in esse, sed etiam in operari; hujusmodi quidditativa rerum contingentia obstare nequit, quin Deus ea omnia independenter ab omni decreto præfinitenti

Unde solidum sub sumo discursu pro asserto fundam. to.

H

nientij

nienti, necessariò, & certò prænoverit.

Ex pluri
nductio-
ne prajac-
tum ra-
tiorinum
ultra pro-
moveo.

59. Confirmatur ulterius prædictum ratiocinium ab inductione plurium, quæ proculdubio certa afferuntur. Primò. Quamvis Deus sit substantia infinita, necessaria, & perfectissima: nihilominus dum in viâ eum apprehendimus, non cognoscimus ipsum substantialiter; sed accidentaliter; non infinite, sed limitato modo: non necessariò, sed contingenter; non perfectissimè, sed imperfectè: Imò quamvis Deus infinitus à Beatis videatur intuitivè in patriâ, non videtur nisi finito & limitato modo. Secundò. Quamvis homo, animal, equus, & leo, &c. sint substantiæ materiales, & singulares: tamen dum intellectus noster eos apprehendit & cognoscit, non cognoscit eos materialiter, sed immateriali modo, non singulariter, sed universaliter & præcisivè. Sed utriusque exempli ratio, & aliorum, quæ facile congeri possent, alia esse non potest, nisi quia facultas scientiæ, & cognitionis non sequitur modum & conditionem objecti; sed solum facultatem, & modum virtutis cognoscentis. Ergo.

Exemplo
speculi
materialis
ostendi-
tur scien-
tia Dei,
quâ inde-
pendenter
ab omni
decreto
scivit om-
nes res, a-
ctus & hu-
jusmodi
circum-
stantias.

60. Nec desunt exempla, quæ ostendant, quo pacto habuerit Deus etiam independentem ab omni decreto scientiam utique clarissimam & perfectissimam omnium rerum, & actuum hujus mundi secundum omnium rerum seriem & circumstantias; quam quidem scilicet præhaberet, etiamsi per decretum mundus nunquam esset exiturus: sicuti modò in infinito illo suæ sapientiæ thesauro, clarissimam scientiam habet infinitarum rerum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum, quæ nec sunt in propriâ naturâ nec fuerunt, nec futuræ sunt. Primò enim ab ipsâ materiali speculi experienciâ constat, nos videre res omnes, quas retrò habemus, intra ipsum speculum, ed solum quod earum rerum species impressæ nobis opponantur, non aliâ ratione, nisi quia sunt medium expressivum ad videndum in illis ea objecta, quorum sunt imagines & similitudines: quod si non existentibus ipsis rebus in suâ propriâ naturâ, Deus eas species speculo imprimeret, eodè modo quasi intra speculum oculis cernerentur; ita ut eas res corporales visus attingeret non existentes secundum suum proprium, physicum, & naturale esse, ed solum quod haberet esse intentionale, & purè visibile in illis speciebus.

61. Secundò. Quia si Deus, ut visum est supra, formaret nobis speculum etiam materiale capax recipiendi species proprias omnium earum rerum, quæ in hujus mundi finem usque, & in diem ultimi judicii futuræ, & reservatæ sunt: & ad hujusmodi speculum nobis eorû omnium species impressas objiceret; certè clarissimam de totâ illâ mirabili Scenâ notitiam ab ipsis speciebus præha-

beremus; quamvis secundum esse proprium & naturale ultima illa mundi Tragedia non existeret: & quidem eâ notitiâ certitudine, ut quâdo eam ultimis futuris temporibus in se ipsâ secundum existentiam naturâlè & physicam videremus, nihil novum nobis accideret quantum ad acquirendum notitiam eorum, quæ in tragico illo pereuntis mundi, & ejus universalis actû agebantur: solumque possedici in eo casu, nos modò perfectiori videre res illas in se ipsis, cum respectu visûs corporalis res materiales in se ipsis, & secundum existentiam naturalem sint perfecti. Etius medium videndi, quam ipsæ secundum esse intentionale, quod in ipsis speciebus intentionalibus haberent.

62. Tertiò. Ex Sacrà Paginâ multa de hâcre suppetit seges. Nam Apocalypseos revelatio facta Joanni Evangelistâ, est his visionibus plena, in quibus per imagines, & rerum varias species mirabilia arcana Deus ipsi manifestavit. Unde Angelicus Thomas in Proëmio Apocalypsis ait: *Vidit visionem imaginariâ, & intellectualem secundum diversos respectus: imaginariâ, in quantum vidit imaginem: intellectualem, in quantum illuminato intellectu intellexit, quæ videbat.* Et Glossa super 2. Corinth. 12. ait: *Quod visio spiritalis, seu imaginaria est, quando aliquis in extasi & somno videt, non corpora (intellige secundum esse naturale) sed imagines rerum.* Mitto alia de Visionibus Prophetarum, quibus prænumtiabuunt ea, quæ videbant secundum esse intentionale sibi præsentia: in esse tamen physico & naturali solum futura. Ex his omnibus præintantum discursum facile recolliges. Tum sic: Atqui Deus independentem ab omni decreto naturalem rerum existentiam præinienti, habet in clarissimo illo suæ divinæ essentiæ speculo imagines, rationes, sive idæas, in quibus repræsentantur clarissimè & certissimè, non solum quæ in hâc mundi machinâ versantur; sed infiniti rerum factibilium thesauri. Ergo longè perfectiori modo, quàm in exemplis adductis; habet scientiam perfectissimam rerum omnium, quæ in hâc mundi machinâ geruntur; prout considerantur præintellecta à Deo scientiâ illâ simplicis intelligentiæ; ita ut quando vi sui decreti, & plenissimi domini videatur de suâ Sapientiæ thesauro nova & vetera proferrè, respectu divinæ scientiæ non sint nova, sed solum vetera, hoc est, æterna & Deo necessaria; solumque dicantur nova respectu rerum, quæ in tempore fiunt. Patet consequentiâ. Tum quia Deus creaturas existentes non in se ipsis; sed in divinâ essentiâ, posito præinienti decreto, videt contingentia solum se habente ex parte rerum productarum. Tum quia creaturæ existentes perfectius esse habent in Deo, quàm in se ipsis. Ergo perfectius videntur in ipso Deo, Hæc cum ita sint, elevans mentis aciem

Deinde
Apoc. &
S. Thom.
in ejus
Proëmio

aciem ad illos divinæ sapientiæ, & scientiæ thesauros, meritò exclamat Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.*

Propositio 63. Propositio quinta. Nulla scientia Dei, siue necessaria, & simplicis intelligentiæ, siue visionis, siue conditionata, imponit necessitatem rebus contingentibus, nec causalibus liberis. Hæc propositio est de fide Catholicâ tenenda; sicuti ut talis à Sanctis Patribus, & omnium Theologorum & Catholicorum consensus defenditur: quamvis non sit in eâ explicandâ, & probandâ, una omnium mens: Sed rei difficultas eos in diversos dicendi modos distraxerit. Probatur primò de scientiâ necessariâ & simplicis intelligentiæ. Quia quod Deus in medio suæ divinæ essentiæ independentè à decreto determinanti, & præfinito creaturas, earum contingentiam & libertatem intelligat, non facit, nec præstat; eas futuras esse, aut præfinitas quantum ad earum existentiam naturalem, & physicam: cum illis adhuc sic cognitâ; liberum sit Deo eas producere, vel non producere. Ergo rectè cum hæc scientiâ componitur, quod causæ liberæ contingentes, & earum actus juxta Dei placitum nunquam existerent. Patet consequentia. Eadem scientia necessaria, quâ causas contingentes, & liberæ hujus mundi prænovit, alias prænovit contingentes, & liberæ alterius, & alterius mundi, & tamen istæ ex divinæ voluntatis proposito nec sunt, nec unquam erunt; aut fuerunt. Tum sic. Sed ex eo quod scientia necessaria Dei nullam imponat necessitatem essendi in propriâ, & physicâ suâ naturâ à causis, siue rebus ex quidditate suâ contingentibus, & liberis, evidenter sequitur, nullam per ipsam scientiam imponi necessitatem operandi in propriâ, & physicâ naturâ: cum operari sequatur ad esse, & necessitas operandi ad necessitatem essendi. Ergo ex scientiâ Dei necessariâ, quâ, ut vidimus, Deus independentè à suo decreto prænovit hujus mundi machinam, & universam rerum, & actuum contingentium seriem, nulla rebus contingentibus, & causalibus liberis necessitas imponitur.

Propositio 64. Probatur secundò propositio de scientiâ visionis ex verissimis Angelici Præceptoris principiis in pluribus locis, quæ S. Thom. quia passim tum à nostris, tum ex Thomisticâ Scholâ Doctoribus circumferuntur, non est, quod hic, cum brevitati disputandi consulimus, repetamus: Unum tamen non omitam, quem Sanctus Doctor expendit. super Boëtium de Consolat. ubi supra, prosâ 6. & ult. Ibi: *Quare hæc divina prænotio, quâ Deus novit futura illa, non mutat proprietatem rerum quoad necessitatem, & contingentiam, quia non imponit necessitatem rei, quæ contingens est; sed talia apud se spectat præsentia; qualia olim præcognovit futura,*
Theol.

nec confundit rerum judicia, ut contingens, faciat, non esse contingens; sed unico intuitu mentis dignoscit tam necessaria, quam non necessaria ventura, id est, futura. Quod declarat (scilicet Boëtius) in exemplo dicens: Sicuti & vos homines quando pariter, & in eodem instanti videtis hominem ambulare in terrâ, & Solem oriri in cælo, licet utrumque simul sit conspectum, tamen discernitur hoc esse voluntarium; scilicet hominem ambulare in terrâ, & illud esse necessarium, scilicet Solem oriri: Ita similiter divinus intuitus cuncta despiciens, id est, deorsum aspiciens, minime perturbat rerum qualitatem; scilicet contingentiam & necessitatem rerum. Et paulò infra. *Ut si ponatur æternitas sicut centrum, & rotam tempus sicut circumferentia; tunc circumferentia licet continuè moveatur, & pars toti succedat; tamen in comparatione ad centrum uniformiter se habet. Ita Divus Thomas.*

65. Ex quibus efformari potest multiplex discursus. Primò. Divina prænotio, imò nec divina præfinitio eorum, quæ Deus scientiâ necessariâ prænotat independentè à decreto; non mutat proprietatem rerum quoad necessitatem & contingentiam: Sed qualia quidditative necessariò præsevit, talia liberè præfinit, ut fierent secundum esse naturale physicum cuique conveniens. Atqui scientiâ necessariâ prævidit Deus naturam Solis, & Ignis, v.g. ut causas necessarias ad combucendum, & illuminandum; & humanum arbitrium ex suâ quidditate, & essentiâ cum potestate, & dominio ad volendum, & nolendum, ad consentiendum, & non consentiendum. Rursus in hæc, & illâ circumstantiâ novit combustionem, & ortum Solis, ejusque illuminationem, ut actus necessarios; & volitionem in hac circumstantiâ, & dissensum in aliâ, ut actus quidditative liberos: quia sicut proprium est illorum actuum ut procedentium à causis naturaliter determinatis, esse necessarios; sic est proprium volitionis, dissensus, consensus ut procedentium à causis quidditative indifferentibus, & liberis, esse contingentes & liberos. Ergo divina præfinitio præfinit causas necessarias, ut suo tempore fierent, ut necessarias; & causas liberæ pro suâ temporis differentiâ, ut liberæ & contingentes in operando. Ergo nec decretum liberum Dei, nec scientia, quæ communiter dicitur visionis, imponunt contingentiam causalibus necessariis, nec contingentibus ullam necessitatem: sed immutatâ proprietate, & qualitate causarum, unamquamque discernit, & producit secundum quidditatem suæ naturæ siue liberæ, aut contingentem, siue necessariam. Major est certa. Quia ex eo quod Deus scientiâ necessariâ simplicis intelligentiæ prænoverit naturam Angeli ut immortalè, & incorruptibilem; & naturam hominis ut corruptibilem, atque mortalem

Unde multiplex discursus deducitur pro firmâ propositioe.

talem, eandem liberè decrevit, & produxit in esse secundum proprietates, qualitates, & conditiones naturæ Angelicæ ut incorruptibilis, & immortalis, & naturæ humanæ ut mortalis, & corruptibilis. Ergo ex eo quod eadem scientiâ necessariâ Deus præno-
verit Ignem, & Solem ut causas necessarias & determinatas ad illuminandum, & comburendum; & liberum arbitrium sive angelicum, sive humanum ut causam liberam, & ex naturâ suâ indifferentem indifferentiâ dominii ad utrumlibet: scilicet velle, & nolle, dissensum, & consensum, tales causas præfinivit, & produxit in esse secundum cuiuslibet conditionem, & proprietatem.

66. Unde licet verum sit, quod natura Angeli habeat esse, & existentiam propriam naturæ à scientiâ, & decreto Dei, ab his tamen non habet, quod sit immortalis, & incorruptibilis; sicut nec quod homo sit animal rationale; nec quod Sol illuminet necessariò. Ergo nec liberum arbitrium habet à scientiâ, & voluntate Dei, quod contingenter, & liberè operetur; cum id habeat ex quidditate, & proprietate, & conditione suæ naturæ, quam Deus nec imminuit, nec illo modo immutat. Merito ergo notavit Sanctus Thomas ubi supra, quod *Deus non imponit necessitatem rei, quæ contingens est; sed talia apud se spectat presentia, qualia olim præcognovit futura: nec confundit rerum iudicia, ut contingens, faciat non esse contingens.*

Probat. 2. Quia si Deus in huius mundi productione cœco modo procederet cōtingenter necessariò procederent. 67. Probat. secundò. Quia si Deus (quod absit) cœco modo, & absque providentiâ procederet in huius mundi productione, & conservatione; nulli etiam imperitorum hominum apprehensioni posset esse dubium, quin liberum arbitrium in suis operibus liberè ageret: & quod omnia contingentiâ, & libera liberè, & contingenter procederent, sicut necessariò procedent necessaria: non aliâ ratione, nisi quia quælibet causa operaretur secundum suam naturam, & conditionem. Sed evidens est, per scientiam, & decretum Dei non tolli quidditates & essentias rerum, quamvis à Deo accipiant esse, sive existentiam physicam. Ergo si ex imperitorum hominum apprehensione cum absurdâ illa Dei ignorantia, & improvidentiâ absque inconvenienti, & difficultate conciliarentur liberum arbitrium, omnesque ejusdem operationes liberæ, contingentesq; aliarum causarum contingentium effectus, longè veriùs, & omninò certissimè componuntur hæc omnia cum divini providentiâ nec in minimo mutante naturas rerum, quas in esse produxit. Major constat ex Divo Augustino refutante Ethnicorum rationes, præsertim Ciceronis lib. 2. de Divinatione, de quolib. 3. de Civitat. Dei, cap. 9. ait Magnus Ecclesiæ Doctor: *Ibi: Utrumque arbitratur esse non posse; sed si alterum confirmatur, alterum tolli: si eligerimus præscien-*

tiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: si eligerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum: ipse autem ut vir magnus, & doctus, & vita humane plurimum, ac peritissimè consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum, atque ita dum vult facere liberos fecit sacrolegos. Minor etiam ex dictis est certissima.

68. Probat. tertio. Quia quod Deus pro suâ differentiâ temporis habeat sibi præfentes actus liberos, & reliquos causarum contingentium effectus, non potest ullo modo tollere & minuere eorum contingentiam, & libertatem. Ergo ex scientiâ vitiis, & libero decreto Dei nulla causis contingentibus, & liberis necessitas imponitur. Probat. antecedens ex ipsâ ratione, & exemplo Divi Thomæ. Quia licet quis unico intuitu, & eodem instanti, aut tempore & simul, & præfentialiter aspiciat ortum Solis, Petrum deambulare, rectè discernit ortum Solis esse necessarium; deambulationem vero Petri esse contingentem, & liberam, non aliâ ratione, nisi quia intuitus noster non immutat naturam Solis, quæ est necessaria in suo ortu, & illuminatione; nec virtutem Petri, quæ est voluntaria, & libera in operando; unde de ortu Solis, quem sibi præfentem habet, rectè iudicat esse necessarium; quia Sol non potuit non oriri, & illuminare ex determinatione suæ naturæ; de deambulatione vero Petri rectè discernit, esse contingentem & voluntariam; quia Petrus potuit non deambulare; cum liber sit ad deambulandum, vel non deambulandum. Atqui intuitus Dei, qui sibi habet præfentes pro suâ differentiâ temporis ortum Solis, & deambulationem Petri, non immutat, sed potius supponit naturam Solis, quæ est necessaria in suo ortu, & illuminatione; nec virtutem Petri; sed eam supponit liberam, & voluntariam ad deambulandum, vel non deambulandum.

69. Confirmari potest hæc probatio & simul explicari exemplo illo Divi Thomæ supra, de æternitate Dei apprehensâ ad modum centri infinitæ durationis, & de toto tempore ad modum circumferentiæ concepto; sicut enim punctum centricum, supra quem circumferentiâ alicujus corporis sphericæ rotat, immobiliter, & æqualiter, & uniformiter se habet ad omnes partes circumferentiæ, quæ successivè spatium illud, intra quod movetur, decurrunt ita, ut ab illo puncto centrico, & immobili ducantur, aut duci possint tot lineæ, quot fuerint circumferentiæ partes, vel ab ipsis partibus tot lineæ rectè ire in idem cœtrum, mediis quibus rectè imaginatur centrum illud immobiliter esse præfens omnibus partibus circumferentiæ, unicuique per lineam, ei correspondentem; rectèq; deducimus, ut notat Angelicus,

Probat. 2. quia quod Deus pro sua differentiâ temporis præfentes habeat actus liberos & contingentium causarum effectus, non potest ullo modo tollere & minuere eorum contingentiam, & libertatem.

Confirmatur Angeli Doct. exemplo de æternitate.

in eo casu circumferentiam, licet continuè moveatur, & pars parti succedat; tamen in comparatione ad centrum, uniformiter se habere. Sic & per eandem imaginationis speciem, si cum Divo Thomâ discursum Theologicum elevemus; si de Deo dignè sentire velimus, oportet sequentes à nobis meditationes formari. Prima est, aternitatē Dei esse veluti centrum immobile infinitæ durationis, ratione cujus excellentiæ & durationis eam veluti præsentem infinito tempore imaginario consideremus; ita ut si Deus tempus ab aeterno creasset, ei esset præfens realiter secundum infinitas ejus partes successivas; de cujus possibilitate in Metaphysicâ fufiori calamo pertractatum est. Unde

Deus est immobiliter præfens suo quasi centro aternitatis, & toti tempore realiter à principio mundi usque in finem

70. Sequitur meditatio secunda, Deum scilicet esse præsentem immobiliter suo quasi centro aternitatis, toti tempore reali à principio creationis mundi ad ejusdem usque finem: quamvis tempus hoc reale respectu nostri, & quoad nos, & in se ipso sit compositum ex partibus præteritis, præsentibus, & futuris: non quod istæ partes sint præfentes aternitati Dei ab aeterno; in quo maxima solet esse æquivocatio. Sed quod aternitas sit realiter & immobiliter præfens omnibus partibus hujus temporis finiti secundum earum differentias: cum totum hoc tempus quamvis continuè moveatur, & pars parti succedat, veluti circumferentia comparativè ad aternitatis centrum uniformiter se habeat.

Omnes quæcumque causas & quicumque effectus sunt simul simul ex parte aternitatis, & divinae cognitionis Deo præfentes ante decretum.

71. Tertia meditatio; omnes nimirum causas five necessarias, five liberas, & contingentes in operando, ac proinde earum effectus, & actus, five necessarios, five contingentes & liberos eo pacto, quo fiunt, & succedunt in partibus hujus temporis circumferentia, simul similitate ex parte aternitatis, & divinae cognitionis esse Deo præfentes ante decretum solum intentionaliter, & secundum esse intelligibile, juxta supra datam explicationem: posito tamen decreto præficienti, five determinanti hujus mundi machinam, non solum præfentes secundum esse intentionale; sed etiam secundum esse reale, naturale & physicum. Ratio hujus est. Quia aternitas, & divina cognitio non sunt successivæ, sicut partes temporis & humanae cognitiones: hoc enim maximam in Deo argueret imperfectionem: indignum quippe est sentire de Deo, quod sicut nos modò in parte temporis A præfens cognoscimus objectum aliquod: & postea in parte temporis B aliud, &c. Sic Deus eadem successione modò habeat unam rem præsentem, & postea aliam; sic Deus præfentiam rerum eadem successione mutabiliter attingat. Ergo licet res creatæ non simul, sed successivæ sint, & mutabiliter decurrant, Deus tamen non successivè, & mutabiliter;

sed simul similitate ex parte suæ aternitatis, & cognitionis, eas præfentialiter attingit, Cujus altera ratio (de qua supra cum Boetio, & Divo Thomâ) esse potest. Quia modus cognoscendi sequitur facultatem, & conditionem non rei cognitæ; sed virtutis cognoscentis. Sed virtus cognoscitiva in Deo est indivisibiliter tota simul, sicut ejus aternitas, ut in confesso est apud omnes Theologos. Ergo quamvis proprietates rerum, earumque conditio, & modus sint successivi, eas tamen non attinget præfentialiter juxta naturam & conditionem earum; sed juxta modum, & conditionem virtutis cognoscentis.

72. Quarta. Ex his sequitur primò, quod Deus relativè ad nunc aternitatis; sicut me habet præsentem in hac differentia temporis, & non in aliâ; sic habet præsentem Adamum, & homines, qui præterire in suis temporis differentiis, consequenterque habet Anti-Christum sibi præsentem pro sua temporis differentia; sicut & reliquas res futuras. Ratio est. Tum quia licet hujusmodi res creatæ non sint præfentes simul similitate ex parte ipsarum, & comparativè ad partes temporis successivas, in quibus existunt, existunt, & existunt sunt; tamen comparativè ad aternitatem & cognitionem divinam, quæ tota est simul, omnes partes temporis simul cõprehendens rectè dicuntur esse simul præfentes aternitati & cognitioni divinæ. Tum etiam quia Divus Thomas ubi supra, hoc ipsum alio appposito exemplo manifestat dicens: *Aliud exemplum ponitur de aliquo, qui vadit per viam, & non videt homines post se venientes: sed ille, qui de aliâ curri respiceret videret totam viam, & homines per eam transeuntes, tam præcedentes, quam sequentes: sic Deus de speculo suæ aternitatis respiciens omnia, præfentialiter videt tam præfentia, quam futura.* Ita Scholarum Coriphæus. Quo exemplo manifestatur ut clarum id, quod ex confusione nostri modi cognoscendi cum modo cognoscendi divino, obscuram patitur inter aliquos æquivocationem. Nos igitur, qui deorsum, & in hac viâ temporis, & humanarum rerum serie deambulamus, solum cognoscimus ut præfentia, quæ nobis pro hac differentia temporis obijciuntur: reliqua verò, quorum durationes, & sui temporis differentias non spectamus; vel quia in viâ temporis cursum transière, vel quia nondum extiterunt, solum ut futura, vel ut jam præterita cognoscimus. At verò Deus, qui non deorsum; sed de præalto illo suæ aternitatis speculo totam viam temporis, & res per eam transeuntes, suâ infinitâ cognitione secundum omnes ejus partes & differentias simul comprehendit, penetrat, & clarissimè intuetur omnia hæc sibi præfentia, & in conspectu unico habet intuitu.

Deus sicut me habet præfentem, sic Adamum, sic Antichristum, resque futuras pro suis temporis differentiis

Deus certissimè cognoscit que nobis sunt præterita, & futura, nõ tamen ut præterita, & futura respectu sui.

73. Quinta, quæ ex præcedenti deducitur. Deus certissimè cognoscit simul, quæ nobis sunt præterita, & futura; non tamen ea cognoscit ut præterita & futura. Ratio efficax esto. Quia ea, quæ nec sunt, nec erunt respectu nostri; sed solum fuerunt, sunt verè & propriè præterita: similiter ea quæ nec fuerunt, nec sunt respectu nostri, sed solum erunt futura dicuntur. Sed ex dictis constat, omnia, quæ hanc temporis viâ successivè decurrunt, respectu Dei esse, & existere realiter; cum omnes differentias temporis, in quibus sunt, & existunt, simul cognoscatur, simulque similitate ex parte æternitatis, & divinæ cognitionis sibi præsentibus habeat. Ergo cum dicimus, Deum certissimè cognoscere absolute futura; sensus verè Theologicus, & legitimus debet esse, cum cognoscere illa, quæ verè, & propriè respectu nostri futura sunt, sive necessaria, sive contingencia, non quidem ut futura; sed ut præsentia: quamvis hæc, quæ sibi sunt præsentia cognoscatur, respectu nostri esse futura, eo quod simul videat, ea non existere secundum differentias temporis, quæ in hac temporis viâ, in quâ modò exules versamur, nobis sunt præsentibus. Ut ergo doctrina hæc magis elucidetur, nec aliquis falso præiudicio innitens, putet ex hoc præsententia rerum contingentium, & actuum liberorum esse respectu divinæ æternitatis, vel ex certitudine, & infallibilitate divinæ essentia ullam necessitatem rebus contingentibus, & actibus liberis fato quoddam impeluctabili imponi: Unum, vel alterum, quæ contra opponi possunt, breviter attingam, & ut præliam de hoc puncto dilputationem omittam.

Quo pacto cum præteritum & futurum sint non ens, possint esse præsentia divinæ cognitioni?

74. Sit primum, quod sibi objecit Doctor Angelicus ubi supra ad interpretationem Boëtii. Non ens non potest esse alicui præsens. Sed præteritum & futurum non est ens. Ergo non potest esse præsens cognitioni divinæ. Cui argumento sic satis facit. Ibi: Dicendum, quod duplex est non ens: quoddam, quod nullo modo est ens; & tale non est realiter præsens alicui: cum nihil sit. Aliud est non ens, non simpliciter, sed quia actu non est ens: & licet huiusmodi non possit realiter coexistere temporis præsentibus; tamen potest coexistere æternitati; quia æternitas cum sit infinita excedit tempus præsens, se extendendo ad præteritum, & futurum: & sic præteritum & futurum sunt æternitati coexistentia præsentia: quia in æternitate non est successio. Unde non sequitur, si aliquid coexistit æternitati, quod pro tanto simpliciter existat: quia æternitas etiam se extendit ad non existens, sicut ad præteritum, & futurum. Notandum, quod Deo omnia sunt præsentia, & sibi nihil est futurum: Idem scientia (Dei) non est dicenda præscientia, quæ sonat aliquid futurum, nec debet dici prævidentia propter eandem causam: sed debet dici providentia, quasi procul constituta à rebus inse-

rioribus, omnia respiciens. Sic Sanctus Doctor, & quidem clarissimè & acutissimè, ac si uno verbo diceret: *Futurum est non ens respectu nostri, & respectu nostri esse non ens certissimè cognoscitur*. Est tamen ens pro sua differentia temporis, quam Deus de præalto; infinito suæ æternitatis, & cognitionis speculo sibi præsentem habet, & in eâ est sibi præsens, quod respectu nostri est futurum: aliis Deus successione temporis spectaret, sicut & nos, ut res sibi præsentibus haberet: quod quidem esset, res successivè cognoscere etiam ex parte suæ sapientia, & cognitionis: quod ut quid absonum, & Deo indignum absolute putamus. Ex hoc autem nihil deducitur contra contingentiam, & libertatem rerum.

75. Sit secundum, Quod est provium à Deo, necessariò evenit, aliter providentia divina esset fallibilis, & contingens. Sed effectus contingentes, & actus liberi providentur à Deo. Ergo ex divinâ providentiâ ineluctabilis necessitas imponitur contingentibus, & liberis. Major probatur. Quia Deus videt esse rerum contingentium & actuum liberorum, antequam fiant. Sed quod necessariò est, antequam fiat, necessè est esse. Ergo. Distinguo majorem, Necessariò evenit, necessitate absolute, nego: necessitate ex suppositione, concedo majorem. Hæc solutio in omnium sententiâ vera, & communissima est. Illam etiam tradit Divus Thomas in pluribus locis, præsertim ubi supra super Boëtium, prosâ 6. & ult. Ibi: *Respondedo idem quod futurum est quoad nos, cum refertur ad divinam notionem, cui ipsam est præsens, dico, necessarium esse; scilicet necessitate conditionatâ, scilicet ratione præsentia. Cum autem idem futurum perpenditur in sui naturâ, ratione cuius habet futuritatem, & indeterminationem in sui causâ, necesse est videri liberum. Notandum, quod sicut illud, quod in se est contingens, quando est nobis præsens, ratione præsentia fortitur quandam necessitatem, quâ necesse est esse ipsum esse, dum præsens fit, quia omnia sunt Deo præsentia, ratione ipsius præsentia in ordine ad ipsam divinam cognitionem fortitur quandam necessitatem, licet in sui naturâ prorsus videantur libera. Hæc Sanctus Doctor. Unde sicut circumscriptâ, & omni scientiâ, & Dei providentiâ præcisâ, cum nobis est præsens deambulatio Petri, in eâ utrumque cõponimus: esse scilicet necessariâ, & esse liberam: necessariam quidem non necessitate absolute; sed solum conditionatâ: hoc est, relativè ad sui præsentiam: quia res dum est, & præsens est, necesse est esse liberam tamen; quia comparativè ad voluntatem Petri deambulare, & non deambulare potentis, potuit esse & non esse: nec ex huiusmodi præsentia respectu nobis ulla absolute necessitas tali imponitur deambulationi. Sic respectu scientiæ, & providentiæ divinæ*

nulla

nulla tali deambulationi, nec reliquis effectibus contingentibus & liberis imponitur necessitas absoluta, quamvis ea sint præsentia aternitati, & cognitioni divinæ, licet, ut bene Sanctus Thomas ex tali rerum contingentium, & actuum liberorum præsentia solum sequatur nec essitas conditionata, sive ex suppositione, quæ res, dum sunt, necesse est, esse: Deus enim utrumque comprehendit, & esse actuum liberorum ratione præsentia, & eorum causam, ratione cuius potuerunt esse, & non esse in quo potissima libertatis ratio, & natura consistit.

Deus igitur videtur rerum, & actuum liberorum contingentiam antequam fierent respectu nostri, non autem respectu sui.

76. Ad reliqua argumenti, concessa minori, neganda est consequentia. Ad probationem distinguo majorem: Deus videtur esse rerum contingentium, & actuum liberorum, antequam fiant respectu nostri, concedo, antequam fiant respectu Dei, & suæ divinæ cognitionis de præalto suæ aternitatis speculo, videntis unico intuitu, & simul simultate ex parte suæ cognitionis omnes temporum differentias, & res quæ in eis aguntur, nego majorem. Et distinguo minorem: quod necessarium est ex parte causæ, aut alicujus principii intrinseci denominantis, aut prædeterminantis causam, antequam fiat, necesse est, concedo: quod necessarium est, antequam fiat respectu nostri, dummodo fiat & sit præsens respectu Dei, necesse est esse necessitate conditionatâ, & ex suppositione, rursus concedo: necessitate absolutâ, nego minorem. Solutio constat ex nuper dictis, & ejus fundamentalis ratio esse potest. Quia sicut modus cognoscendi sequitur facultatem, conditionem, & modum virtutis cognoscen- tis, & non rei cognitæ: ex quo principio supra probavimus Deum, quæ incerta ex naturâ suâ sunt, certò cognoscere; & quæ ex naturâ suâ sunt contingentia, scientiâ simplicis intelligentiæ necessariò cognoscere: sic modus operandi creaturarum, sequitur naturam, conditionem, & modum suæ causæ operantis, & non causæ divinæ operantis, nec cognitionis divinæ cognoscen- tis, quæ nec in minimo immutat naturas rerum, nec modum quo operantur, præsertim in omnium Jesuitarum Scholâ. An autem hic modus operandi in causis liberis in Thomistarum Scholâ ita teneat; constat uberius ex Opusculo antecedenti de modo, quo Deus liberum movet arbitrium, ad operandum, & magis ac magis infra innotescet.

Opponitur Deum prævidentem futuram Petri deambulationem aut læsionem esse ejus libertatē, aut hunc frustratum Deum providentiam.

77. Sit tertium. Si Deus videret deambulationem futuram Petri, antequam fieret respectu Petri, aut læderet libertatem Petri, aut Petrus posset frustrare, & falsificare providentiam, & scientiam Dei. Atqui sequela hæc quoad utramque partem est absurda; Cum certum sit certitudine fidei, & Petrum esse liberum, & ipsum non posse effugere, & frustrare divinam providentiam. Ergo ex eo quod Deus certò futura cognos-

cat, antequam respectu nostri fiant, & sint nobis præsentia, imponitur necessitas rebus contingentibus, & actibus liberis. Major, in qua sit difficultas, probatur: Quia Petrus, antequam fiat ejus deambulatio futura, quæ Deo præsens esse supponitur, pro suâ differentia temporis, quam sibi præsentem intuetur: vel est liber ad deambulandum, aut non deambulandum; vel tali caret libertate, & est solum determinatus ad solam deambulationem? Si hoc secundum: tollitur è medio liberum arbitrium: quia jam deambulatio Petri fiet necessaria necessitate absolutâ. Si primum: ergo jam erit in potestate Petri non ponere deambulationem. Ergo jam deambulatio Petri poterit effugere, & frustrare providentiam & scientiam, quam supponitur Deum certissimè habere de illâ ratione potentia, & divinæ cognitionis. In hoc ergo difficultatis cardine quasi in limine vertitur & Hæreticorum insipientium audacia, & sit stolidi Aethnicorum insipientia: quorum primi potestatem liberi arbitrii, ex ineluctabili divinæ gratiæ fato evertunt: Secundi verò futurorum contingentium providentiam Deo denegarunt: utrumque tamen hæreticum, & stolidum est.

79. Ut ergo ex nostro modo explicandi cum Sancto Thomâ evidentissimè constet potestatem liberi arbitrii penitus illam, & certam erga futura contingentia Dei providentiam omninò indemnem, invicto fœdere conciliari: Respondeo ad argumentum, negando quoad utramque partem majorem sequelam. Ad ejus probationem dico: quod antequam fiat deambulatio futura respectu Petri, hunc esse liberum ad deambulandum, & non deambulandum: esseque in Petri potestate non ponere deambulationem: & non tamen esse in voluntate aut potestate Petri impedire, ne Deus videat deambulationem suam pro illâ differentia temporis, in quâ actu est deambulatio, & quam Deus sibi præsentialiter habet: quia res dum est, necesse est esse; & ex suppositione, quod Petrus illâ differentia temporis deambulet, necessariò ambulat; non quidem necessitate absolutâ, & antecedenti, quia attentâ suâ naturâ, & attentis principis juxta conditionem & modum illius cooperantibus, potest eam impedire: quia tamen eam non impedit, nec est impediturus, ut potuit, idèò nunquam potest frustrare, nec effugere certitudinem divinæ providentiæ, nec scientiæ Dei, aliàs esset in voluntate Petri, ne Deus certò sciat quod ipse ignorat, quid ab ipso futurum sit: quod planè absurdum est: cum incerta respectu nostri, certissimè Deus cognoscat, nec Petrus, aliave creatura possit efficere, aut impedire, ne Deus simul simultate ex parte suæ cognitionis infinitæ & aternæ omnes partes successivas, & differentias temporum sibi præsentem comprehendat

Utrumque sequelæ extremis rotundè inficior.

hendat, simulque in ipsis præsentialiter attingat omnia, quæ in illis sive necessariò, sive liberè, & contingenter fiunt: hoc enim esset facere, ne Deus esset æternus, nec infinitus in cognoscendo. Quæ imaginatio ex imperfecto nostro modo cognoscendi translata ad Deum dementissima est. Quare utriusque extremi veritatem Deus certissimè cognoscit: scilicet in voluntate Petri contingentiam, & libertatem deambulationis, & necessitatem istius ex suppositione, sive conditionatam, pro differentia temporis, in quâ existit, & est præsens Deus.

79. Hæc solutio aut est eadem, aut expressè colligitur ex Boëtio, & Angelico Præceptore ubi supra. Etenim Boëtius lib. 5. de consolat. prola 6. sic discurret: **Ibi:** *Quid igitur, inquires, ex meâ dispositione scientia divina mutabitur: ut cum ego nunc hoc, nunc aliud velim, illa quoque noscendi vices alternare videatur? Minimè: omne namq; futurum divinus præcurrit intuitus, & ad præsentiam propria cognitionis retorquet, ac revocat; nec alternat, ut tu astimas, nunc hoc, nunc illud prænoscendi vices: sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit, atque complectitur, quam comprehendendi omnia, visendiq; præsentiam, non ex futurarum proventuræ rerum; sed ex propria Deo simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque resolvitur, quod paulò ante posuisti; indignum esse, si scientia Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientia vis præsentariâ notione cuncta comprehendens, sive complectens, rebus omnibus modum ipsa constituit; nihil enim posterioribus debet. Sic Boëtius.*

80. Sequitur Glossa Magistri Angelici, Th. ibid. **Ibi:** *Tu objicies contra solutionem: Si in potestate meâ est mutare propositum meum; scilicet currendo. & non currendo: Ergo evacuabo: id est frustrabo providentiam divinam, cum ego mutavero illa quæ prænoscit esse futura. Ipse solvit dicens: Ego respondebo, te posse deflectere, id est mutare propositum tuum: sed veritas providentiæ illa intuetur, illud te posse; scilicet mutare propositum: Et an facias, quod propositum tuum; & intuetur, quo convertis tuum propositum: ideo scias te non posse vitare divinam præsentiam: sicut quamvis liber à voluntate te convertas in varias actiones, tu non poteris effugere intuitum præsentis oculi.*
Nota, quod licet homo possit mutare propositum suum; per hoc tamen non effugit præsentiam divinam; quia Deus illam mutationem prænoscit: posito enim, quod Deus prævideret, te eras iturum ad forum, quamvis possis non ire, & proponas non ire, non tamen non ibis: quia Deus prævidet simul & propositum, & potestatem non eundi, & mutationem propositi, & actionem eundi: & ideo non potes aliquomodo effugere ejus præsentiam. Hæc Sanctus Thomas: quæ valdè probant, & illustrant supra datam solutionem, suntque valdè notanda

pro concordia liberi arbitrii cum scientiâ Dei, voluntate, & gratiâ, de quibus infra.

81. Scio, Recentiores Thomistas (quibus ex nostris plures subscribunt) ut defendant præsentiam rerum contingentium in æternitate Dei, confugere ad partes virtuales divinæ æternitatis, ita ut per unam partem virtualem parti temporis, in quâ Antichristus, v. g. non existit; & per aliam alteri parti futuri temporis, in quâ Antichristus existet, correspondeat; & sic quot sunt partes temporis realis successive formaliter, totidem & plures partes virtuales in Dei æternitate meditantur, ut videri potest apud Gonetum disput. 4. de scientiâ futurorum contingentium artic. 7. §. 4. num. 220. & §. 8. num. 233. Verùm hæc meditatio, præterquam quod sit minimè necessaria, ad verum conceptum æternitatis divinæ videtur indigna. Tum quia ex eâ sequitur æternitatem divinam esse virtualiter successivam, habereq; partes successivas virtualiter, sicut tempus habet partes formaliter successivas. Sed habere partes formaliter successivas, est imperfectio formalis temporis creati. Ergo assignare in Deo partes virtualiter successivas, aliud non est, quam imperfectiorem formalem durationis creatæ transferre virtualiter ad Deum. Undè dum Magister Gonet contendit Dei æternitatem exponere perfectissimam, eam efficit virtualiter imperfectâ. Sed verum judico, quod ipse Magister edocet ibidem num. 243. videlicet res omnes creatas in propriâ duratione esse ab æterno, non in illâ ut in se; sed ut in æternitate tanquam in mensurâ superiori contenta, ac proinde æternitatem cum in duratione sit infinita, posse per modum mensuræ res continere certas, nondum in propriâ mensurâ existentes: & num. 246. in fine, coexistere Deo, ab æterno convenire rebus temporalibus ratione modi essendi, quem habet in æternitate tanquam in mensurâ superiori, non tamen posse verificari de illis, prout sunt in propriâ mensurâ, & duratione.

82. Verùm hic de Scholâ Thomistica præclare meritis Magister non videtur assequi, ut ipse putat, mentem Divi Thomæ: stemus simul. Primò res creatas esse ab æterno in æternitate tanquam in mensurâ superiori contentas: clarè denotat, res creatas habuisse & habere esse ab æterno cum hac terminorum restrictione: scilicet in æternitate tanquam in mensurâ superiori. Vel ergo hoc esse, de quo loquitur Magister iste, est esse proprium & physicum creaturarum, quale nunc videmus habere res omnes præsentis pro suis propriis temporum differentis: vel solum esse objectivum, aut aliud esse eminentiale, sive virtuale? Si hoc ultimum: non defenditur mens Divi Thomæ asserentis res creatas esse & fuisse præsentis

Recursus plurium ad virtutes les diving æternitatis partes multas esse necessitas, imò obligatus ad conceptum æternitatis

Quid sit creatas res esse ab æterno in æternitate tanquam in superiori mentiâ contentas.

præsentes realiter, & secundum esse naturale, & physicum æternitati, & scientiæ Dei. Si primum: Ergo res creatæ fuerunt ab æterno secundum esse proprium, & reale physicum suæ naturæ: hoc autem absurdum est: cum fide Catholicâ constet, in principio creasse cœlum & terram: quod autem dicatur fuisse in æterno ab æternitate tanquam in superiori mensurâ, nisi hoc bono sensu explicetur, non enervat difficultatem.

83. Dices, Quidquid est præfens ab æterno, Deo ab æterno coexistit. Sed Divus Thomas, ut constat ex locis supra citatis, & sæpè alibi clarè edocet, res omnes, & futura contingentia fuisse, & esse præsentia realiter Deo ab æterno. Ergo coexistunt Deo ab æterno saltem in æternitate tanquam in superiori mensurâ. Major constat. Minor etiam patet ex verbis Sancti Doctoris 1. part. artic. 13. Ibi: *Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt ab æterno Deo præsentia, non solum eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentia (ut quidam dicunt) sed quia ejus intuitus fertur ad æterno super omnia prout sunt in suâ præsentia. Respondeo distinguendo majorem: quidquid est præfens Deo ab æterno, coexistit Deo ab æterno, coexistentiâ utriusque extremi se habente ab æterno, nego: coexistentiâ se habente ex parte unius extremi; scilicet Dei, concedo majorem. Ratio solutionis est. Quia aliud est Deum ab æterno esse præsentem, & coexistentem rebus omnibus creatis ex infinitâ suæ æternitatis, & divinæ scientiæ perfectione: & longè diversum est præsentiam & existentiam creaturâ fuisse ab æterno in æternitate Dei, tanquam in mensurâ superiori. Primum est verissimum: quia cum Deus nec successivè existat, nec successivè cognoscat, necesse est quod ex parte sui simul coexistat omnibus, simulq; similitate cognitionis omnia cognoscat. Unde negari nõ potest, Deum ab æterno habere sui præsentiam, existentiam, & cognitionem divinam: quia talis præsentia, quâ Deus est præfens rebus creatis; & existentia quâ dicitur Deus creaturis coexistere, aut creaturas coexistere Deo; similiterque divina scientia, quâ omnia creata simul unico cognoscit intuitu, planè sunt ab æterno ut perfectiones infinitæ Dei.*

84. Secundum verò est falsum. Quia nulli potest esse dubium, præsentiam & existentiam physicam creaturarum fuisse in tempore, & nullo modo ab æterno; ut ex Sacrà Scripturâ constat. Hinc est, quod si præsentia, & existentia creaturarum, quibus dicuntur esse præsentia, & coexistere Deo ab æterno, accipiantur ex parte ipsarum creaturarum, non tam esse dicendum, creaturas ab æterno esse, aut fuisse Deo præsentia realiter & physicè; quàm eas ex tempore, aut in tempore esse, aut fuisse Deo præsentia ab
Theol.

æterno. Ratio est. Primò. Quia *ly ab æterno*, propriè loquendo, denotat terminum sine termino, vel quasi terminum, à quo, sine principio; vel aliquid semper fuisse: Cum ergo certum sit, rebus creatis id non competere non solum essentialiter, sed nec actualiter; cum suæ existentia realis, & physica principium referant; non potest in hoc sensu dici, creaturas ab æterno fuisse, aut esse Deo præsentia etiam in ejus æternitate, tanquam in superiori mensurâ. Secundò. Quia creaturæ solum ex tempore, & in tempore sunt Deo præsentia ab æterno secundum esse physicum, & reale: sufficit enim ad verificandum hoc, quod Deus ab æterno, & sine ullo principio simul similitate ex parte suæ cognitionis videat quasi à longè, & infinitè distantes creaturas: quemadmodum Sol ex suæ altitudinis eminentiâ partes inferiores terræ inter se, & ab ipso Sole distantes, dicitur sibi præsentia habere simul, quin earum partium inter se distantia, & ab ipso Sole, sive cœlo, in quo Sol est, impediatur ullatenus ipsarum præsentiam, & coexistentiam cum Sole.

85. Unde ut omnem ambiguitatis ansam præcidamus, ex hoc ultimo exemplo duo oportet considerare. Primum est, existentiam & præsentiam creaturarum secundum suum esse reale, & physicum infinitè distare in suâ propriâ duratione ab ipsâ præsentia, existentia, & æternitate ipsius Dei: ita ut verè hic & nunc dicere possimus, existentiam Dei, ipsiusque præsentiam, & durationem retrò, & in infinitum ante præcessisse omnem præsentiam, & existentiam creaturarum. Secundum verò est, hanc distantiam infinitam ratione propriæ durationis (cujus veluti spatium quasi mediat inter medium & creaturas) nihil obstare, quominus verè dicatur, creaturas esse præsentia, & Deo ab æterno coexistentes, non quod existentia, & præsentia creaturarum sit, nec fuerit ab æterno in ipsâ Dei æternitate veluti in superiori mensurâ; sed quod Deus ex perfectione suæ æternitatis, quæ est tota simul infinitè, & simul omnia tempora ambiens, & ex perfectione scientiæ divinæ, quâ procul, imò infinitè distantes simul videt res creatas in suâ, & pro suâ differentiâ temporis: ac proinde quod Deus simul similitate ex parte cognitionis res infinitè distantes in ratione durationis comprehendat: si enim experientiâ ostendit, perspectivæ artis industriâ sic attemperatâ, fabricari perspicilla, ut appropinquent, & sibi præsentia reddant res procul distantes, & aliundè ignotas, & oculis nostris absentes; quid ni hoc ipsum longè perfectiori modo infinitæ perfectioni divinæ scientiæ tribuatur.

86. Quare hic explicandi modus in re planè difficilis, videtur Sanctorum Thomæ, & Augustini menti magis consentaneus: ait enim

Creaturæ in sua propria duratione infinitè distat à præsentia, existentia, & æternitate divina

enim Angelicus ubi supra dicto articulo 13. *Sed quia ejus intuentur fertur ab aeterno super omnia, prout sunt in sua presentia. In quibus verbis ly fertur denotat, Deum ab aeterno, & sine principio videre res ad procul, & in sua presentia & existentia propria infinite distantes. Et Sanctus Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 25. Res antequam fierent, non fuerunt, sed ante dico aeternitate, non tempore. Ergo sensit Sanctus Doctor, creaturas non fuisse ab aeterno in aeternitate, antequam fierent. Denique Sanctus Petrus Damiani episcopi. 4. de Omnipotentia cap. 8. sic Theologicè discurre: *Omnia quae apud nos elabendo discurrunt, & per temporum vicissitudines se variant: apud illud hodie (scilicet aeternitatis) stant & immobiliter perseverant: In illo hodie, dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem: In illo Jam, & ille nihilominus est, in quo judicandus per aeterni judicii aequitatem. Tandem pro hac, & hujusmodi controversiis opus est, exuamus species illas, quibus quoad nos de tempore, & rerum successione discurremus.**

Propos. 6.
Deus sua
scientia
necessaria
praevidit
sibi praesentem
esse intel-
ligibilem
hujusmodi
rerum
seriem a
principio
usque ad
finem.

87. Propositio sexta. Deus in sua scientia necessaria, & independenter ab omni decreto habuit, & praenovit ut sibi praesentem secundum esse intentionale, & intelligibile totam hanc rerum futurarum, & sibi invicem succedentium machinam eo ordine, serie, & dispositione mirabili, quo temporum vices a principio ad metam usque mundi rerum contingentium eventus successivè ostendunt. Haec propositio ex antecedenti deducta, pro recto usu, & explicatione scientiae mediae utilis quidem est, & facile probatur. Primo. Quia Deus scientiam necessariam praenovit, possibile esse ea omnia, quae posito decreto, ut futura respectu nostri praenoscit, & ut praesentia respectu sui, ita ut non alio modo juxta hanc rerum seriem possibilita praescierit, & alio modo futura, & praesentia: Sed eodem prorsus modo, quo Deus v. g. pro sua differentiâ temporis ab aeterno videt, & providet deambulationem Petri, vel ejusdem liberum consensum sibi praesentes secundum esse physicum, & naturale, quin talis providentia obstat contingentiae, & libertati talis deambulationis, aut consensûs; sic nec alio modo Deus sua scientiam necessariam talem deambulationem & consensum praenovit. Atqui, ut probatum manet in antelapsâ propositione, nullo modo derogat contingentiae & libertati talis deambulationis, & consensûs, quod eos habeat praesentes pro suis temporum differentiis. Ergo Deus sua scientiam necessariam independenter ab omni decreto praenovit, &c. Probatur major. Primo. Quia omnia praesentia, praeterita, & futura sub hac rerum formâ, & dispositione fuerunt possibilita; cum ab actu ad potentiam sit evidens consequentia. Secundo. Quia, ut supra etiam ostend-

sum est, Deum independenter ab omni decreto praesentem habet rationes, & ideas omnium rerum contingentium, non solum quantum ad causas necessarias, & liberas in actu primo; sed etiam quantum ad earum effectus, & actus secundos contingentes, & liberos. Ergo in earum medio cognovit haec omnia ut possibilita: aliâs improvidè & ignoranter procederet ad productionem, & fabricam eorum omnium, quae in esse, sive existentiam deducit. Ergo quod Deus scientiam necessariam praescierit deambulationem Petri possibilem potius, quam non deambulationem, vel poenitentiam possibilem Divi Petri potius quam ejus carentiam, aut oppositum; aut impoentiam Judae, potius quam ejus conversionem; non quidem possibilitate causae, quae praenoscitur à Deo ex natura sua indifferens ad utrumlibet; sed possibilitate actus secundi, quem necesse est, comprehendat Deus ut necessarium ex suppositione in esse intentionali, & secundum esse intelligibile sub hac rerum serie, & dispositione: derogare non potest libertati & contingentiae rerum, nec ullum inferre praedictum libertati actuum voluntatis creatae: praesertim cum in alia rerum serie possibili, & in aliis circumstantiis possibilitibus oppositum etiam sua necessaria cognitione Deus per modum simplicis intelligentiae cognoscat. Si enim aliquis coram stare speculis, impedire non posset, ut in illis ipse, ejusque omnes externi actus apparerent: cum autem Deus sit speculum necessarium omnia loca & tempora circumscribens, quidquid fuit, est, & erit, in illo apparet intentionaliter, & intelligibiliter, quin sit in hominum libertate suos actus celare ab illo infinito speculo.

88. Probatur secundò. Quia certum est, perfectionem divinam scientiae maxime ^{Deinde} commendari ex eo, quod Deus plene cognoscit ^{probat} naturas omnium rerum, & earundem ^{asserit ex} effectus, quos a principio mundi, & ad ejus ^{maximâ} usque finem producturus est juxta praescriptum ^{comenda-} ^{tionem per-} ^{fectionis} ^{scientiae} ^{divinae} ordinem suae divinae providentiae. Atqui haec commendatio divinae perfectionis non advenit, nec accrescit Deo ex contingentia rerum existentia: aliter haec, ut potuit, deficiente, consequenter deficeret divina perfectio. Ergo dicendum est, hanc divinam scientiae perfectionem ex eo commendari, in eoque consistere, quod Deus in sua divina essentia ut infinite imitabili, vel in suis rationibus, & ideis, quas intrinsecè & necessaridè praehabet, ut infinitus, & perfectissimus omnium rerum Artifex; plene necessaridè, & perfectissimè praenoverit independenter à decreto praesentem totam hanc rerum machinam secundum ordinem, quem sub hac rerum serie ei divina sapientia praefixit.

89. Haec ut clariùs illustrentur, sige casum, quo Deus noluisse perfectam hujus mundi

est Divi Thomæ doctrina apud Magistrum Lermam lib. 2. quæst. 5. de ente rationis, 1. p. quæst. 14. artic. 9. Ibi: *Quæcumque igitur possunt per creationem fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus.* Ex quibus clarè & verissimè inferitur, Deum certò cognoscere omnes veritates conditionatas omnium illarum propositionum, quas humanus intellectus potest sub aliquâ conditione formare. Hæ autem propositiones sunt in duplici differentia: aliæ, quarum veritas sub hypothese, aut conditione factâ certum pro hoc rerum statu obtinebunt effectum: aliæ verò quæ sub tali hypothese, aut conditione certum quidem effectum obtinerent; sed ex defectu existentie talis conditionis non illum obtinebunt. Primo modo talis est illa propositio, quæ post lapsum & negationem Divi Petri tempore passionis Domini formaretur: scilicet *Si Christus Dominus respererit Petrum, converteretur, & penitentiam ager:* Cujus veritas conditionata effectum habuit ex positione, & existentia illius conditionis: Resperxit enim Jesus Petrum, & hic flevit amarè. Similis est illa propositio, quæ de proditore Judâ formaretur: videlicet *Si Judas post nefandam illam sui Magistri prodicionem osculo accipiatur à Christo Domino, indurescet, & impenitens abibit, ac laqueo se suspendet:* Nam indurationis & impenitentia Judæ effectus sequutus est ex malâ ejus dispositione, quamvis extiterit conditio illa Judam osculo accipiendi; & sic de aliis propositionibus, quæ formari possunt, quarum veritas conditionata, etsi respectu nostri incerta, & contingens sit, certum tamen obtinebit effectum. De propositionibus verò conditionatis, quarum veritas certum pareret effectum, si earum poneretur conditio, eum tamen non obtinebit ex non existentia, nec futuritione absolutâ conditionis: Sunt varia exempla ex sacro Textu deprompta. Constat enim ex 1. Regum 23. etenim cum David fugisset Ceilam, & Dominum consulisset: Ibi: *Si tradent me viri Ceila, & viros, qui mecum sunt, in manu Saül? Respondit ei Dominus tradent.* Et Matthæi cap. 11. *Si in Tyro & Sydone facta fuissent virtutes, quæ in vobis facta sunt olim in cinere & cilicio penitentiam egissent:* & sic de aliis, quæ passim tum in libris, tum in disputationibus circumferuntur. His præmissis.

93. In objecto conditionato tria veniunt consideranda ex communi utriusque Scholæ doctrinâ: scilicet antecedens, consequens, & utriusque nexus. *Antecedens* est conditio illa, sub quâ objectum affirmatur: v.g. in futuro illo conditionato Matt. 11. *Conditio illa, si facta fuissent virtutes, &c.* dicitur antecedens. *Consequens* est, quod affirmatur extitutum sub illa conditione; ut in eodem loco: *In cilicio & cinere penitentiam egissent;*

In objecto conditionato tria veniunt consideranda ex communi utriusque Scholæ doctrinâ: scilicet antecedens, consequens, & utriusque nexus.

dicitur consequens sub tali conditione futurum. *Nexus* verò utriusque est ipsa importata connexio inter objectum sub conditione, & ipsam conditionem: v.g. Connexio illa penitentia Tyriorum cum virtutibus illis, si in Tyro & Sydone facta fuissent: defectu cuius ista propositio conditionata; *Si musica volaverit Turca damnabitur;* & aliæ hujusmodi, quæ nullam connexionem virtutis, aut mediæ continent, ad præsentem controversiam impertinenter se habent. Ex præjactis igitur præjudiciis, ommissis utriusque Scholæ Doctorum placitis, eorumque doctrinis & explicationibus, instituti nostri solùm erit, verum, legitimumque scientiæ mediæ sensum, in Scholis Societatis perpetuò propugnatum, ex Sacrà Scripturâ: Et mente Sanctorum Augustini, & Thomæ, ad veritatis & Scholasticæ rationis lancem breviter expendere.

QUÆSTIO II.

An Scientia Media sit in Deo necessario constituenda circa futura & conditionata.



MT præintenzæ resolutionis scopum in hæc, & sequentibus Quæstionibus attingam, & ut ea, quæ in utràque Scholâ conspiciuntur, & certa sunt, ab incertis, & seridè disputandis secernamus. Opera præmium duxi aliquo vel levi calamo præmittere; ea scilicet, in quibus Thomistæ cum Doctoribus Societatis conveniunt; & in quibus Jesuitæ omnes à Thomistarum doctrinâ certatim multis abhinc annis usquequaquæ recedunt, atque discordant.

LECTIO I.

Uno vel altero præmissis, Scientia Media asseritur & probatur.

94. **P**ræmitto primò, Scientiam Mediam, & scientiam conditionatam in Scholâ Societatis à primævo hujus controversiæ litigio, non duas sed unam, & eandem reipsâ tam formaliter, quàm virtualiter scientiam fuisse, & nomine tenus differre dumtaxat, ut palam fiet iis, qui circa punctum hoc Authorum Societatis dissertationes evolverint. Jam verò ut Thomistica

In Scholâ Societatis ipsissima est scientia conditionata & scientia media.

mistica Schola longius declinaret à scientiâ conjecturali, maximè que recederet ab opinione Curielis, Cabrerae, & aliorum Thomistarum, hujusmodi scientiam Deo circa futura conditionata tribuentium; uti à Recentioribus passim asseritur; scientiam conditionatam Dei liberè amplexa est. Ast vel ad ipsum nomen scientiæ mediæ sic inhorruit, ut totam adversus illam mentis aciem intenderit. Quare autem eandem scientiam sub nomine scientiæ conditionatæ Thomistæ susceperint, identidemque sub nomine scientiæ mediæ rejiciant? Anceps hæreo, & ratio dubitandi est. Quia ex certis utriusque Scholæ principiis cum scientia Dei sit unica, indivisibilis, & infinita perfectio, solum multiplicatur ex diversitate objectorum, vel potius ex diverso modo attingendi objecta. Atqui præter objecta purè possibilis, quorum scientia dicitur simplicis intelligentiæ; & præter objecta existentia absolutè futura, quorum est scientia visionis, dantur objecta purè conditionata. Ergo præter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis; debet in Deo dari scientia conditionata, sumpto hujus scientiæ nomine ab ipso objecto conditionato, cujus certissimam scientiam non potest non habere Deus. Hic discursus legitimus est apud Thomistas, Subsumo nunc pro scientiâ mediâ. Sicut præter objectum purè possibile, & objectum absolutè futurum datur objectum contingens conditionatum; sic inter possibile, & objectum contingens absolutè futurum, mediatur objectum contingens conditionatè futurum. Sed scientia Dei dicitur rectè conditionata ab objecto conditionato. Ergo ex eo quod tale objectum conditionatum sit medium inter purè possibile, & absolutè futurum; si connexio doctrinæ saltem in modo loquendi tenenda est, talis conditionatorum cognitio rectè potest dici scientia mediâ in Deo.

Non infringit dubitandi ratione Gonet. Godoy & aliorum Thomistarum dictum.

95. Nec obstat, si cum Gonet, & Godoy ex communi Thomistarum sensu dixeris, scientiam mediâ apud Jesuitas eam haberi, quâ Deus independenter ab omni Decreto præfinito, objecta contingenter conditionata certò prænoscat. Hoc, inquam, non obstat, ut Thomistæ adversus nomen scientiæ mediæ tam acriter, & contentiosè invalescant: Primò, quia Jesuitarum Schola eodem modo, quo ante omne decretum præfinitum defendit scientiam mediâ circa contingentia conditionatè futura, propugnat ante tale decretum scientiam conditionatam. Sed talis modus non obstat, quominus scientiam conditionatam Schola Thomistica sub hoc nomine liberè suscipiat. Ergo nec potuit obstat, quin eandem sub nomine scientiæ mediæ Societas Jesuadum susceperit propugnandam. Secundò, Quia nomen scientiæ mediæ non est

scientiæ Dei impositum ab eo, quod sit, vel non sit in Deo ante ullam divinæ voluntatis præfinitionem; cum ante istam sit scientia simplicis intelligentiæ, quæ nullo modo dicitur mediâ, sed solum ex eo, quod inter objecta purè possibilis, & absolutè futura mediant objecta contingentia conditionatè futura, quocumque modo mediant hujusmodi objecta. At Schola Thomistica planè fatetur, talia objecta conditionatè futura saltem post decretum prædeterminans subjectivum ex parte Dei, omninò mediare inter possibilis, & contingentia absolutè futura. Ergo quâ ratione post tale decretum ei tribuit nomen scientiæ conditionatæ, si connexioni doctrinæ, & recto modo loquendi standum sit, deberet ei, deposito tædio, scientiæ mediæ nomen adscribere.

96. Tertio. Quia hujusmodi scientia conditionata, quam post tale decretum docent Thomistæ, nec est scientia simplicis intelligentiæ, quæ versatur circa purè possibilis, nec scientiæ visionis absoluta, quæ solum attingit objecta absolutè existentia, vel absolutè futura. Ergo est mediâ inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam absolutæ visionis, post tale decretum subjectivum. Ergo sicut Jesuitica Schola defendit scientiam mediâ, eamque communiter reducit ad scientiam simplicis intelligentiæ, eo quod objecta contingentia conditionatè futura mediant ante omne decretum præfinitivum, inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis absolutè: sic Schola Thomistica re ipsâ propugnat scientiam mediâ in Deo, quam communiter reducit ad scientiam visionis, eo quod hujusmodi contingentia conditionatè futura mediant post decretum prædeterminans, quod subjectivè adstruit in Deo, inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam absolutæ visionis. Ergo utraque Schola re ipsâ scientiam mediâ circa contingentia & libera conditionatè futura abstruit & propugnat in Deo: Jesuitica ante omne decretum præfinitivum: Thomistica verò post tale decretum subjectivum in Deo. Hæc cum ita sint, missis jam solius nominis & verborum circumstantiis, ac disputandi officijs, mirandum sanè est, quantum Gonet, quantum Godoy, quantum & alii Sapientissimi Thomistæ desudaverint, ut nomen scientiæ mediæ Orbi Litterario insensum redderent; cum torus utriusque Scholæ conatus eò pervenerit, ut probationes Theologicæ dirimant, an scientia conditionata, & mediâ, quam ante omne decretum subjectivè præfinitivum, nostri Doctores Deo adscribunt, sit tenenda? An verò scientia conditionata, & mediâ quam Schola Thomistica post decretum prædeterminans subjectivè ex parte Dei, acerrimè contendit & adstruit, ut melioris conditionis sit ample-

Conditio nata Thomistarum nec est simplicis intelligentiæ, nec visionis et go mediâ.

amplectenda? Pro cuius decisione jus hactenus fuit, & est in armis, vincet, qui poterit.

In scientiâ mediâ 2. Importan- tur, & cog- natio cer- ta futuro- rum condi- tionato- rum, & e- jus indepe- dentia ab omni de- creto præ- ficienti & prædeter- minanti.

97. Præmitto secundò cum Goneto, ut vel ipsis Adversariorum armis utamur, sub hoc nomine scientiâ conditionatâ, aut mediâ, prout ab universâ servandum Societa- te accipitur, & propugnatur, duo præcipuè importari. Primum est, in Deo esse cogni- tionem certam & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum; v. g. con- versionis Tyrriorum, si Christus Dominus apud illos prædicasset. & signa fecisset, quæ fecit apud Judæos, ut dicitur Matthæi 11. & Lucæ 10. vel traditionis David in manus Saül, si mansisset in urbe Ceila, ut habetur 1. Regum 23. Secundum est, talem cogniti- onem esse priorem omni decreto sive præfi- cienti, sive prædeterminanti, & ab illo inde- pendentem, ac fundatam in aliquo alio medio (de quo infra) & ad illa objecta immediatè terminatam. Circa primum nulla jam ferè vertitur controversia cum Recen- tioribus Thomistis, eandem certam & in- fallibilem conditionatorum scientiam in Deo asserentibus: potest tamen esse, & fuit olim cum antiquioribus, ut Zumel, Cabrera, Le- desma, qui de futuris conditionatis Deo scientiam solum conjecturalem, aut proba- bilem attribuebant: Quamvis Magister Jo- annes à Sancto Thomâ, & Gonet eos ab hac opinandi maculâ purgare contendant, imò & querelas contra nostros Doctores de hac imposturâ effundant; multiq; sint in eo- rum interpretandâ sententiâ, dum asserunt in bono sensu, ipsos posse & debere explicari. Verùm semel supposito, quòd hujusmodi conjecturalem scientiam de Deo protulerint; hic vindicandi modus omninò displicet: quia aliud est, quod Deus non cognoscat futura conditionata in suis causis liberis, & contingentibus; & aliud, quod scientiâ conjecturali, & probabili ea in eisdem cau- sis cognoscat. Primum est verissimum: quia causâ liberâ, & contingentes non possunt esse medium Deo cognoscendi ullo modo talia objecta; ut communis Theologorum sententiâ.

Falsum omninò est Deum conjecturaliter, cognoscere futura conditionata in suis causis

98. Secundum autem est omninò fal- sum, nec in aliquo bono sensu potest inter- pretari. Ratio est. Tum quia scientia conje- cturalis, aut probabilis ex suâ naturâ, & ra- tione est fallibilis, imperfecta, & exposita falsitati. Sed hujusmodi scientia, aut cog- niti- o ut Deo prorsus indigna, in nullo con- gruo, aut bono sensu potest Deo attribui Ergo inutilis prorsus est quæcumque deta- lis scientiâ doctrinâ excogitata interpreta- tio. Nec præfatis Magistris justa est conque- rendi causâ; cum prædictum opinandi de scientiâ Dei modum antiquis Thomistis no- stri Doctores de proprio cerebro minimè affinxerint. Rem ostendo. Etenim Magister

Fr. Petrus Ledesma in suo de divinis auxi- liis, & scientiâ conditionatâ opere disput. 2. affini de scientiâ futurorum contingentium, difficult. 2. post relatam nostram opinio- nem, sic ait: *Secunda sententiâ est huic omninò opposita: docet enim quod potest Deus per con- jecturas aliquo modo cognoscere, quid causâ li- bera faceret, si in tali occasione cum istis, vel illis conditionibus constitueretur: non tamen po- test certâ & infallibili scientiâ id cognoscere; atque adeò potest quidem Deus judicare, quid foret vero similis & probabilis in tali eventus, non tamen potest definitum judicium ferre, hoc esset, aut erit, si illud fiat aut fieret: Et mox hoc theoremate sic proposito, & amplexato, subnequit: Ibi: *Hanc sententiâ sequuntur omnes Discipuli Divi Thomæ, qui hac tempestate interpretantur illum, & omnes qui sequuntur doctrinam ejus in materiâ de Auxiliis divina gratiæ. Hucusque ille. Gonzalez verò 1. part. quæst. 14. artic. 13. disput. 44. sect. 2. num. 8. sic etiam ait; Prima sententiâ est ali- quorum juniorum Thomistarum, qui dicunt quod hujusmodi futura solum cognoscuntur à Deo conjecturaliter, vel certitudine quâdam mora- li, non autem certitudine logicâ aut metaphy- sicâ excludente omne dubium ex parte rei cog- nite. Ita ille. Ambrosius verò Machin. in 1. parte quæst. 14. artic. 13. disput. 33. sect. 1. sic refert: Ibi: *In hac re prima sententiâ est ali- quorum Thomistarum asserentium Deum non cognoscere futura conditionata libera, nisi so- lum conjecturaliter, vel certitudine quâdam morali non excludente omne dubium. Curius verò Carmelitanus tomo 1. in 1. parte tract. 3. disput. 9. de Scientiâ Dei dub. 2. §. 1. citat pro eadem sententiâ Fr. Petrum de Ledesma & alios Thomistas, quorum suppressit no- men. Multò plura apud nostrum Leonardum de hac re à curioso Lectore omninò videnda.***

99. Totum ergo controversiâ pondus In quo cum Recentioribus Thomistis est circa flet totâ controversiæ pòdus licet talis futurorum conditionatorum cog- niti- o, quam omnes ad unum Recentiores Thomistæ, ut ait Sapientissimus Pennotus in suo Propugnaculo: certiores jam de cur- su disputationum facti, non conjecturalem; sed metaphysicè certam in Deo asserunt; sit prior decreto præficienti, aut determinanti, & ab illo independens; an verò tali decreto posterior, & in eo fundata? pro scientiâ con- ditionatâ, & mediâ anteriori ad omne de- cretum præfinitivum, & omninò ab illo in- dependenti pugnat Jesuitarum Schola, & cum eâ numerosum satis Doctorem agmen, ut videre est apud Patrem Henao de Scien- tiâ Mediâ, nostrum Leonardum, & alios. Pro scientiâ conditionatâ posteriori decre- to prædeterminanti subjektivè ex parte Dei, & in eo fundatâ; Illustrissima juxtâ ac Sa- pientissima Thomistarum Schola viriliter certat

certat, quibus extra nobiles etiam Recentiores adhaerent. Ex quibus, ut loquamur cum doctissimo Gonet, facile intelligitur, quid sit media scilicet scientia; & in quo conveniat, & differat à scientiâ conditionerum, quam Thomistæ in Deo agnoscunt, quamvis, ut constat ex nuper dictis, immeritò scientiæ mediæ nomen ei abnuant concedere. Conveniunt igitur in hoc, quod utraque est certa & infallibilis; Sed differunt in eo, quod prima est independens à decreto actuali præficienti, & eo anterior: Secunda verò illo posterior, & in eo fundata. His ita de scientiâ conjecturali, aut probabili, vel solum certa certitudine morali, à quâ universa Thomistarum Schola meritò jam recessit; cum nullus ex eâ Adversarius adversus nos insurgat, non est quid pertractemus. Unde pro præfenti rerum statu controversiam hanc duplici conclusione breviter dirimam.

LECTIO II.

Prima Conclusio sit. Implicat scientia conditionata etiam certa, & infallibilis, quæ sit posterior decreto prædeterminanti subjective ex parte Dei, qualem adstruit Thomistica Schola: estque Divi Thomæ principii omnino contraria.

Probatur
1. ex S.Th.
2. contra
gent.c.23

100. **U**T ergo doctrinam Recentiorum Thomistarum in hac gravissimâ controversiâ ab ipsis fundamentis convellamus, agendum est cum illis tum autoritate Divi Thomæ, tum rationibus Theologicis, quæ ex Angelici doctrinæ connexionem legitime deducuntur. Probatur ergo primò ex Sancto Thomâ lio. 2. contra gentes cap. 23. dicente ibi: *Secundum Philosophum 9. Metaphys. duplex est actio: una quæ manet in agente, & est perfectio ipsius, ut videre: alia quæ transit in exteriora, estque perfectio facti; sicut comburere in igne. Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in agente: cum sua actio sit sua substantia. Oportet igitur, quod sit de genere illarum actionum, quæ sunt in agente, & sunt quasi perfectio ipsius: Deus igitur cognoscendo, & volendo agit & operatur; non igitur per necessitatem naturæ; sed per arbitrium voluntatis. Hæc Magister Angelicus. Ex quibus juxta ejus mentem manifestè colligitur, volitionem liberam Dei, ejusque cognitionem, sive scientiam esse actionem, quâ Deus operatur, & agit ad extra, ut*

latissimè probavi Quæstione de Actione Creativâ Dei; ac proinde universa Schola contraria principii Sancti Thomæ insistent, meritò fatetur, ipsum velle, & ipsum Dei cognoscere, esse actiones; quibus Deus immediatè operatur ad extra: an autem consequenter, & ex ejus doctrinæ consequentia ex consequenti ratiocinio innotescet.

101. Quia potissimum fundamentum scientiæ conditionatæ, quam Thomistæ adstruunt, est decretum actuale, & in actu exercito absolutum subjective ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, sive termini. Sed tale decretum actuale circa futura conditionata, ex principii Divi Thomæ est omnino implicatorium. Ergo scientia conditionata illo posterior, & in illo fundata, omnino implicat. Major est Adversariorum dogma. Minor verò probatur. Quia tale decretum (etiam præscindendo pro nunc ab eo, quod sit, vel non sit prædeterminans) talis est naturæ, ut per illud Deus, quantum est ex se, & absolutè ex parte sui velit Tyrionum penitentiam potius, quàm ejus carentiam, sub illâ conditione virtutum, & miraculorum, de quibus juxta Math. 11. & sic de aliis decretis hujusmodi conditionerum. Atqui tale decretum actuale ex parte Dei est omnino implicatorium. Ergo. Major etiam constat. Minor probatur. Quia tale decretum utpotè exercitè, & actualiter liberum ex parte Dei est terminativè contingens. Ergo non habet objectum, aut terminum ad intra; sed solum ad extra: cum omnis actus divinæ voluntatis ad intra sit omnino necessarius. Antecedens, & consequentia sunt certæ apud Thomistas. Tum sic, Sed decretum absolutum ex parte Dei, & actu terminativè contingens ad extra circa penitentiam Tyrionum, & hujusmodi alia purè conditionata, est implicatorium. Ergo. Probatur minor. Velle Dei actu terminativè contingens, est actio, quâ Deus agit & operatur ad extrâ. Sed implicat actio absoluta ex parte Dei, quâ physicè Deus operetur ad extra penitentiam Tyrionum, & quemlibet alium terminum purè conditionatum. Ergo tale decretum absolutum ex parte Dei circa objecta purè conditionata est prorsus implicatorium. Major constat ex verbis Divi Thomæ supra, & in pluribus omnino locis, fundaturque à Sancto Doctore in locis Sacræ Scripturæ: Psalm. 103. *Omnia in sapientiâ fecisti.* Psalm. 135. *Qui fecit celos intellectu.* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue: Omnia, quæcumque voluit, fecit, &c.* Proquâ veritate ex omnium Thomistarum sensu Magister Gonet disput. de libertate voluntatis Dei, artic. 3. §. 1. num. 97. sic ait: *Creatio enim activa nihil aliud est, quàm actus sive intellectus, sive voluntatis, ut connotat effectum productum; ita ut nihil aliud medium: nulla perfectio superaddita assignari debeat*

Ex.D.Th.
est omnino implicatorium decreti actuali absolutum subjective ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. ¶

inter

inter actionem Dei immutabilem, & effectum productum. Quam Doctrinam & nos alibi fuse probavimus.

Quod autem implicet illud velle divinum, & actio circa objectum pure conditionatum folida ratione probatur.

102. Minorem vero sic probo. Implicat actio physice, & absolute in actu secundo existens, ex parte cause sive increate, sive create circa terminum pure conditionatum, cujus conditio nec existit in propria natura, nec extitura est & cujus terminus nec physice ad extra existit, nec physice ad extra extiturus est. Sed penitentia Tyrionum, nec conditio illa virtutum & signorum Christi Domini unquam physice, & in propria natura ad extra extiterunt, nec existunt, nec unquam extitura sunt; & sic de aliis pure conditionatis. Ergo implicat actio actu exercite existens absolute ex parte Dei circa conditionem penitentia Tyrionum, & quorumcumque aliorum contingentium conditionatorum. Major efficaciter probatur, simul, & explicatur. Implicat calefactio in actu exercito absolute existens ex parte ignis circa terminum pure conditionatum ex parte passi, v. g. circa calorem pure conditionatum, qui nec existit, nec in propria natura unquam existet, & cujus conditio nec existit, nec unquam extitura est: similiter implicat actio creativa alicujus Angeli actu existens absolute ex parte Dei, quin talis Angelus in propria natura absolute existat, & quae solum terminatur ad Angelum pure conditionate existentem, cujus conditio & terminus nunquam extituri sunt. Hoc autem imperceptibile, & tam implicatorium est, ac concipere Deum actu ex parte sui ad extra absolute agentem, & terminum ejus actu ad extra absolute non esse: esset enim actu simul agere, & non agere. Atqui Deum velle, & absolute aliquid decernere ad extra ex parte sui, est absolute actu agere ad extra ex parte sui. Ergo implicat actu velle absolute, & subjective ex parte sui, sive decretum actu subjective, & absolute existens ex parte Dei circa penitentiam Tyrionum pure conditionatam, & quaecumque alia contingentia, & libera conditionate futura.

Implicatorium, & imperceptibile est, Deum actu terminative ad extra agere alicuique terminum pure conditionatum.

103. Firmatur iterum predicta ratio. primo. Idem est Deum velle terminative aliquid ad extra, ac ipsum agere ad extra. Sed implicat, imo imperceptibile est, Deum agere actu terminative ad extra aliquem terminum pure conditionatum, & qui ex ipsius conditione nunquam extitura, ipse nunquam extiturus est. Ergo implicat, & imperceptibile est, Deum ex parte sui aliquid velle terminative ad extra, & quod ejus terminus nunquam ponendus sit ad extra. Tum sic. Sed penitentia conditionata Tyrionum, & alia quaecumque objecta conditionata, quae afferuntur, & controversantur in hac disputatione, nullam propriam existentiam unquam habitura sunt, ut in hac controversia utrinque supponitur. Ergo. Major illa est

constans, & perpetua Divi Thomae doctrina, a qua communis Thomistarum opinio non discedit. Minor probatur. Quia actio absolute in actu exercito ad extra sine termino actu ad extra absolute existenti, juxta certissima Theologiae & Philosophiae principia, chymica est. Secundo. Quia implicat, Deum velle actu terminative ex parte sui aliquid ad extra sine objecto actu voluto. Ergo implicat, Deum actu & exercite ex parte sui aliquid agere sine eo, quod aliquis terminus actu sit extra productus. Sed velle Dei actu aliquid extra Deum, & distinctum a Deo, est Dei agere. Ergo sicut implicat actio actu subjective ex parte Dei circa effectum actu non existentem, sive pure conditionatum, & nunquam extitutum; sic implicat velle Dei actu, sive decretum actu subjective absolute ex parte Dei circa objecta pure conditionata.

104. Firmatur tertio. Quia decretum actu, & ex parte ipsius Dei absolute terminative liberum, non habet, nec habere potest pro objecto aliquam perfectionem necessariam Dei, nec objectum necessarium scientiae simplicis intelligentiae; ut merito tenent, & tenere debent omnes Thomistae: cum certo certius sit, Deum non esse liberum, nec potestatem Domini sui perfectissimi possidere, nec exercere posse circa perfectiones divinas, nec circa creaturas possibiles, prout sunt objecta scientiae simplicis intelligentiae. Ergo tale decretum debet habere pro objecto aliquid extra Deum actu formaliter contingens, Ergo aliquid actu absolute existens secundum naturalem, & propriam sui existentiam. Patet haec consequentia. Quia licet respectu scientiae necessariae, aut simplicis intelligentiae Dei non sit idem esse cognitum, ac esse actu productum, sive existens; & secundum plures Doctores, nec sit idem esse volitum simpliciter complacentia, ac esse actu creatum; eo quod nullum objectum necessarium subjacet divinae libertati, nec est ejus objectum; tamen respectu scientiae liberae, & actus liberi Dei idem prorsus est esse cognitum, & liberè volitum; ac esse existens physice pro suo temporis differentia, ut patet inductione omnium rerum creaturarum; idem enim est, mundum esse volitum liberè, & Angelos esse volitos a Deo, ac illos existere extra, & fuisse productos secundum propriam & naturalem sui existentiam.

105. Respondebis, id solum esse verum respectu decreti liberi actu existentis subjective in Deo, quando tale decretum fertur in objectum absolute volitum: non vero quando fertur in objectum solum volitum efficaciter sub conditione. Cum ergo tale decretum, ut defenditur a Thomistis, quamvis actu liberè existat subjective ex parte Dei, solum feratur in Tyrionum

Enidem Thomisti decretum implicanti ostendunt ex hoc ob- jectio pat- tibus im- perabilis: cum idem sit esse vo- liti a Deo ac esse pro- dum.

Dices, id esse verum, de decreto fertur in objectum absolute volitum, non autem sub conditione

Implicet et Ripalda

Tyrorum penitentiam non absolute extra causas; sed solum sub conditione ponendam: hoc est, In Tyrorum penitentiam, aut conversionem, quæ ceriò penetraret sub illa virtutum, & signorum Christi conditione: hinc est, minimè esse necessarium, quod objectum talis decreti sit actu formaliter, & absolute existens; sed solum quod sit, & esset existens sub conditione: & idem esse dicendum de reliquis contingentibus, & liberis conditionatè futuris,

Verùm in prædictam evasione in sumo discursu multiplici

106. Verùm hæc evasio magis speciosa, quàm solida argumenti nostri vires minimè infringit; pro cuius refutatione, & in ulteriorem conclusionis probationem sequentes produco discursus. Primò. Quia prædicta solutio videtur quadam petitiò principii; cum id contendat argumenti nostri ratio, ut ex Angelici doctrinâ implicet in Deo decretum actu terminativè liberum circa objectum non existens, nec unquam exiturum. Secundò. Quia volitio actu libera Dei circa objecta creata, & actio creativa, sive operativa ipsius idem omnino sunt in Divi Thomæ, & ipsorum Thomistarum sententiâ. Sed implicat actio creativa absolute existens ex parte Dei circa volitum solum conditionatè futurum. Ergo & volitio actu libera Dei circa volitum futurum solum conditionatè. Quid tandem, si Thomistarum aliquis minorem neget, & asserat, non implicare ex parte Dei actionem actu operativam circa effectum creatum absolute non existentem; sed solum pure conditionatum. Tunc sic redarguendus erit. Tertio. Quia simili modo non implicabit ex parte ignis calefactio actu absolute existens, circa calefactionem, aut terminum absolute non existentem; sed solum pure conditionatè. Illationem probo. Non enim implicat, imò de factò contingit, causas secundas participare non solum virtutem operandi causæ primæ: Sed etiam ejus operationes, & actiones, quibus operatur ad extra effectus creaturarum absolute existentes secundum physicam, & propriam eorum naturam. Ergo si Deus præter hunc certum, & communem modum operandi habet etiam actiones & operationes actu ex parte sui subjectivè absolute existentes circa effectus extra pure conditionatos, & ex defectu conditionis nunquam exituros; non implicabit, causas secundas hujusmodi actiones participare circa suos effectus pure conditionatos. Hoc autem in Scholasticorum mentem profectò nunquam venit: everteret enim bonam philosophiam, quæ ex necessariâ & essentiali connexionem actionis, cum termino, unionis cum extremis, relationis cum termino, &c. Infert impossibilitatem actionis, unionis.

Theol.

nis, & relationis, earum terminis absolute non existentibus. Sequela autem videtur legitime deduci: nam semel concessis hujusmodi actionibus ex parte Dei subjectivè existentibus circa terminos pure conditionatos, & nunquam exituros, absque ullâ implicatione: assignanda est ratio, quare hic modus operandi non sit participabilis à creaturis. Quarto. Quia ut constat ex Præludio tertio, Deus omnia quæcunque voluit, fecit. Sed Deus actu libero subjectivè ex parte sui seridè voluit penitentiam Tyrorum, & alia contingentia pure conditionata. Ergo ipsa fecit. At pure conditionata sunt termini, sive effectus nunquam exituri. Ergo fecit terminos nunquam exituros.

107. Dices Deus seridè vult, omnes homines salvos fieri, actu quidem libero subjectivè existenti ex parte Dei: & tamen non omnes homines salvi fient. Ergo ex decreto subjectivè ex parte Dei circa penitentiam Tyrorum, & alia objecta conditionata haud rectè arguitur existentia termini voliti. Verùm hoc instantiæ effugio non evincitur argumenti difficultas. Ante cuius probationem ex doctrinâ Divi Thomæ, quam Thomistæ omnes, & Theologi communiter amplectuntur, respondeo, Deum seridè, quantum est ex se, velle, omnes homines salvos fieri, voluntate quidem antecedenti, & conditionatâ, non tamen voluntate consequenti, absolutâ, & efficaci. Ratio est. Quia Deum seridè, & actu libero velle voluntate antecedenti, omnes homines salvos fieri; aliud non est, quàm velle, ut omnes homines benè operentur, & per sua bona opera salutem consequantur æternam; ita ut vi talis voluntatis præparentur omnibus hominibus media necessaria ad rectè operandum pro obrinendâ salute. Hæc solutio apertè colligitur ex Angelico Doctore in 1. Sentent. dist. 66. quæst. 1. artic. 1. Ibi: *Dicendum secundum Damascenum, quod voluntas est duplex in Deo, & antecedens, & consequens: si ergo in homine tantum natura ipsius consideretur, æqualiter bonum est, omnes homines salvari: quia omnes conveniunt in naturâ humanâ: & cum omne bonum sit volitum à Deo, hoc etiam Deus vult: hæc vocatur voluntas antecedens, quâ omnes homines salvos vult: & hujus voluntatis effectus: (Ausculta) Est ipse ordo natura in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter proposita tam naturalia, quàm gratuita, sicut potentia naturales, præcepta legis, & hujusmodi, &c. Hæc Magister Angelicus.*

Dices, Deum velle omnes homines salvos fieri, quin omnes salvi fiant.

108. His ita: Redit iterum probatio illa quarta, unde occasione præfatæ replicæ præfactæ rationem. Quippe illa Dei voluntas vult, omnes homines salvos fieri: habet pro effectu

Unde pro moveo sicut præfactâ rationem. Quippe illa Dei voluntas

K

effectu

& absolute ex parte sui circa penitentiam Tyriorum, & alia contingencia pure conditionata. Ergo. Major patet inductione omnium, quibus elevamur ad cognoscendum amorem Dei erga creaturas. Etenim ex adventu Christi Domini, ejusque Incarnatione cognoscimus, & probamus specialem amorem, quo Deus dilexit nos; juxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Similiter ex gratia collata Divo Petro, ut peniteret; non autem Judæ, colligimus specialem Dei erga illum amorem; præ Judæ. Denique ex effectibus creaturarum, & beneficiis eis collatis, intelligimus specialem Dei amorem, aut non specialem erga ipsas: Non enim indivisibiles Dei perfectiones cognoscimus nisi ex ipsis effectibus, quos Dei amor operativus produxit.

112. Minor ergo probatur primò. Quia per tale decretum subjective solum ex parte Dei nullus effectus extra producitur, ut probatum est. Ergo nullum est ens, quod nobis possit esse medium cognoscendi, esse subjective in Deo tale decretum. Secundò. Quia si aliquid esset medium probandi in Deo tale decretum, maximè illud objectum penitentia pure conditionata Tyriorum, quod nobis constat per revelationem divinam; videlicet *Si in Tyro, & Sydone, &c.* Sed tale objectum non potest esse medium probandi decretum actu subjective ex parte Dei. Ergo. Probatur minor. Quia objectum revelatum solum est penitentia, quæ fuisset, si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, &c. Sed ex effectu, qui fuisset, solum probatur decretum, & amor, qui in Deo fuisset; non verò decretum, & amor, qui actu est subjective ex parte Dei. Ergo. Major constat. Minor etiam probatur. Quia ex effectibus, qui actu absolute sunt, vel qui actu extiterunt, aut qui absolute actu futuri sunt respectu nostri, colligimus, & probamus, esse actu subjective ex parte Dei decreta libera, & amorem erga tales effectus. Ergo ex effectibus pure conditionatis, qui fuissent, & non sunt, nec exituri sunt, solum probatur decretum, quod foret, aut fuisset; non verò decretum, quod ex parte Dei actu subjective sit. Rursus. Invisibilia Dei, & amor ejus effectivus, ejusque decreta actu subjective, & terminative libera intelliguntur, & conspiciuntur à nobis per ea, quæ facta sunt. Ergo per ea, quæ solum facta fuissent pure conditionate, dumtaxat possunt intelligi, aut conspici à nobis amor effectivus, qui esset; aut decreta libera, quæ fuissent. Merito ergo Univerſa Societas amplectitur, & ab initio amplexata est hujusmodi solum de-

Theol.

creta pro sua scientiâ conditionata, aut mediâ tuenda; rejectis Thomistarum decretis, quæ urpotè adversantia Divi Thomæ principis, tantumdem negotii fa-

113. Probatur tertio efficaciter Conclusio nostra. Quia talia decreta actu subjective ex parte Dei, & pure conditionata ex parte objecti, videntur in Scholis plane nova, in eisque à Sapientissimis Thomistis recenter intrusa; eo scopo ipsis præfixo, ut à scientiâ conditionata, sive mediâ Jesuitarum longius declinarent: Coacti respondere veritati plurium conditionatorum, quæ ex Sacris Scripturis manifestè constant: Præsertim cum in doctrinâ toties, & fusè pertractatâ, atque discussâ ab Angelico Magistro, nullum vel leve sit relegere vestigium, quod talia decreta actu subjective, ex parte Dei circa objecta pure conditionata demonstraret: Pureque videantur otiosa, & ad rerum providentiam omnino inutilia. Quæ ratio licet non ita Dialectica, satis congruenter ostendit, præsidio auctoritatis Divi Thomæ, & ratione destituta. Quidquid contra P. Annatum reclamet M. Gonet, dum ait primò talia decreta, pure conditionata ex parte objecti, & absolute, ex parte Dei fuisset de mente Doctoris Angelici; ut est illud de voluntate antecedenti, & conditionata in Deo circa salutem omnium hominum: Secundò, ea decreta esse necessaria, & utilia: Tum quia ad universalem Dei providentiam possunt pertinere, ob rationes occultas suæ providentiæ: Tum quia illorum objecta honesta sunt: Nimirum gratia primi hominis posteris communicanda, & perventura ad gloriam, nisi ponat obicem: Tum quia utilia, & necessaria etiam sunt ad alios fines cognoscendos, qualis est certa veritas futurorum, quæ in scripturis revelantur; & manifestatio inclinationis causarum secundarum; ob cujus rationem decernenda fuit Tyriorum conversio, si apud illos edita fuissent miracula, apud Judæos visa, licet apud ipsos nunquam facienda; ut præ illis agnoscerentur peiores Judæi. Sic M. Gonetus de scientia conditionatorum, disputat. §. artic. 2. §. 5. à num. 47.

114. Verum hæc ad rem tanti momenti, levioris ponderis sunt. Rem ostendo primò. Quia voluntas antecedens, & conditionata ex parte voliti, quam S. Thomas probat in Deo circa omnium hominum salutem (ut constat ex dictis) dispar, & valde dissimilis est decretis Thomistarum circa contingencia pure conditionate futura, quæ nunquam sunt facienda: Cum pro istis decretis nullus assignetur effectus extra productus, sicut Ange-

K 2

licus

Probo 3i illa Thomistica decreta nova esse, inutilia, & in Scholis recenter intrusa.

Dicit Gonetus esse utilia, & eorum objecta honesta.

Dispar est voluntas antecedens, & conditionata salutem hominum, & decretis Thomistarum.

licus plures assignat absolute existentes pro voluntate antecedenti, & conditionatâ de salute omnium hominum; pro decreto de gratiâ originali posteris communicandâ, Adamo non peccante; & pro aliis decretis, quorum adæquatam objectum non est purè conditionatum, sicut decretum de conversione Tyriorum; cum habeant plures effectus absolute volitos; quorum sufficientia ad evitandum peccatum originale, ut gratia posteris communicaretur; & ad alia vitanda peccata, ut omnes homines, nisi per ipsos staret, salvi fierent; satis ostendit ex ipsâ virtute mediorum, quæ Deus præparavit, ipsum seriò velle voluntate antecedenti omnium hominum salutem, & gratiæ originalis communicationem posteris primi parentis.

Dicere, illa divina Thomistarum decreta pertinere ad Dei providentiam ob rationes sibi occultas; est fatari, nullâ pro illis hucusq; inclaruisse ratione.

Impugnatio honestatæ attributæ objectis talium decretorum.

115. Secundò. Quia dicere, talia decreta pertinere ad universalem Dei providentiam ob rationes ipsi Deo occultas; perinde est ac dicere, nullam adhuc inclaruisse nobis rationem apertam, & clarâ, vi cuius existentiam talium decretorum actu subjectivè, & terminativè ex parte Dei affirmemus: Nam invisibilia, & occulta Dei non nisi per effectus actu productos, & existentes ex parte Dei, nobis manifestantur: Nisi velit hic Magister, illis occultis rationum Mysteriis, ipsi forsan solùm revelatis, cœcum assensum præstari, ipsis captivando intellectum; ut volebat Bannez in obsequium præmotionis omninò cum libertate pugnantis. Tertiò. Quia in eo, quod M. Gonet asserit, objecta talium decretorum esse honesta; vel loquitur de decretis, quæ præter conditionem, quam respiciunt ex parte voliti, habent alios effectus absolute existentes; ut auxilia, quibus, si homines velint, ponatur conditio; vel de iis decretis, quæ nullum habent effectum absolute existentem; sed eorum adæquatam objectum est purè conditionatum, & nunquam extitutum; nec medium aliquod ad purificandam conditionem? Si primum: Fatemur, talia objecta esse honesta, utpotè ex absolutâ preparatione mediorum seriò volitâ à Deo, ut omnes cum Divo Thomâ locis citatis tenemus: Sed hoc est chorum extrâ saltare, & præter disputationis orbitam exilire; ac proinde rem obscurare, confundendo decreta, quæ à Jesuiticâ Scholâ cum Angelico D. communiter probantur; cum decretis, quæ ab ipsâ contra Thomisticam in hac controversia acriter rejiciuntur.

Idè intè tum ultra promo-veo.

116. Si secundum: Ut stemus proposito, sistendum est hic tantisper cum Sapientissimo Gonet. Pœnitentia Tyriorum purè conditionata est objectum divini decreti actu subjectivè existentis in Deo, quo illa decernitur. Sed objectum istius

decreti est honestum. Ergo pœnitentiâ Tyriorum est moraliter honesta. Vel ergo honestate purè possibili, & necessaria; vel honestate liberâ, morali, & formaliter contingenti? Si primum: Non potest esse objectum divini decreti, & amoris Dei; præsertim in sententiâ istius Magistri disput. 2. de voluntate Dei, artic. 4. §. 2. asserentis, creaturas possibles nullo modo amari à Deo. Si secundum: Ergo pœnitentia Tyriorum, quamvis sub conditione nunquam ponendâ, actu amatur à Deo, estque digna, ut illum Deus absolute ex parte sui amore respiciat, & prosequatur. Ergo sicut sub eâ conditione nunquam ponenda, adhuc est honesta, & libera moraliter; sit sub illâ conditione nunquam ponendâ, erit meritoria, præsertim cum etiam in hac rerum providentiâ conducat ad aliqualem laudem Tyriorum; conducit enim ex dictis à Gonet, ad ostendendum, Judæos fuisse peiores Tyriis, & Sidoniis: Tyrios autem non fuisse ita malos, ac pravè affectos, ac ipsi Judæi, aliquis laus, & commendatio Tyriorum est. Si ergo talis pœnitentia est honesta, libera, formaliter contingens, & aliqui laude digna: Ergo vi formalis consequentiæ fuit etiam aliquammodo meritoria, dignaque saltem in actu primo aliquammodo præmi. Tunc sic. Atqui hoc exequendum Semipelagianismi jaculum, quod universim Thomistæ, & peculiariter hic Magister, conatur adversus scientiam mediâ dirigere, potiori jure retorquetur in hujusmodi Thomistica decreta, & scientiam conditionatam ipsis posteriorem, & in illis fundatam: Ut si rem seriò, & maturo examine expendas, vi arguendi manifestè constabit. Ergo hujusmodi decreta, & scientia conditionata in ipsis superstructa, per se concidunt; cum auctoritate Divi Thomæ, & prædictis rationibus funditus convelluntur.

117. Quartò. Quia hujusmodi decreta minime conducunt, ut contendit Gonet, ad cognoscendos illos fines; qualis est certa veritas futurorum, quæ in scripturis revelantur; & manifestatio inclinationis causarum secundarum: Quin potius ex hac doctrinâ major difficultas adversus illa, & scientiam conditionatam, quæ in eis fundatur, invalescit. Assumptum probo primò. Quia veritas revelata de pœnitentiâ purè conditionatâ Tyriorum, & de aliis hujusmodi; non potest cognosci in tali decreto libero actu subjectivè, & terminativè absolute ex parte Dei, & purè conditionato ex parte objecti. Ergo ex hac parte fundamentum hujus decreti ad scientiam conditionatam illo posteriorem, omninò deficit. Probatur antecedens. Quia objectum purè conditionata-

ditionatum pœnitentiæ Tyriorum vel cognoscitur in ipsâ libertate actuali necessariâ ipsius actûs divini præcisè; vel in illâ terminativè sumpta, in quantum ex plenissimo suæ potestatis dominio ponitur objectum? Non primum: Quia libertas actualis, & infinita voluntatis divinæ est perfectio necessaria Dei. Sed, ut docent Thomistæ, nullum objectum formaliter contingens, & futurum, sive absolutum, sive pui. è conditionatum, cognoscitur in perfectione Dei necessariâ, nec in amore Dei necessario: Cum hic sit indifferens indifferentiâ dominii, & perfectissimæ libertatis ad ponendum, & non ponendum extrâ objectum, aut effectum creatum. Ergo in tali decreto, aut actu libero Dei hoc modo sumpto, Deus non potest cognoscere veritatem revelatam de pœnitentiâ Tyriorum purè conditionatâ, & formaliter contingenti. Patet hæc consequentia. Quia in medio indifferenti ad utrumlibet, non potest certò cognosci unum extremum potius, quam aliud. Non secundum: Quia actus liber Dei subjectivè, & terminativè acceptus, præter objectum, & effectum formaliter contingentem, quem ponit, nullam addit perfectionem Deo. Sed effectus sive absolute, sive purè conditionatè futurus ex doctrinâ Divi Thomæ, quam meritò amplectuntur Thomistæ, & alii Theologi communiter, non potest esse medium, in quo Deus cognoscat veritates creatas, ut patet ex doctrinâ, quam in hujus controversiâ præludiis supra probavimus. Ergo tale decretum absolutum ex parte Dei, & purè conditionatum ex parte objecti, inutile, & otiosum est etiam ad finem cognoscendi veritates, quæ in Sacrà Scripturâ revelantur.

118. Respondebis ex opinione Illustrissimi Godoy, Goneri, & Recentiorum Thomistarum, tale decretum liberum subjectivè ex parte Dei non esse medium certò cognoscendi veritates conditionatè futuras, in quantum est perfectio necessaria Dei præcisè; per se tamen, & de facto esse medium illas cognoscendi, in quantum superaddit ad perfectionem necessariam terminationem ratione distinctam sub conceptu terminationis, & prout sic, defectibilem; quia actus liber Dei consistit in actualitate actûs necessarii ut ad creaturas libere terminati. Ita Salmanticenses disputat. 7. dub. 8. de voluntate, M. Goneri disputat. 3. de libertate voluntatis Dei, artic. 2. §. 5. à num. 63. & communiter Thomistæ.

119. Hæc tamen solutio in præsentî controversiâ vehementer displicet. Primò. Quia ad explicandum medium, in quo

Deus certò cognoscit creaturarum veritates (quod Divo Thomæ, & aliis Theologis facile visum est) confugit ad obscurissimum illud ænigma de constitutivo divinæ libertatis; quod difficillimum, & ferè impossibile Theologis apparuit, ut vel ipse Goneri fateretur. Secundò. Quia hunc modum explicandi actum liberum Dei efficaciter alibi rejecimus; circa quod, Deo dante, iterum sermo redibit. Tertio & quidem efficaciter. Quia tale decretum actu subjectivè, & terminativè ex parte Dei, consistit in aliquo intrinseco Dei sub conceptu puræ terminationis. Sed illud intrinsecum est defectibile sub conceptu puræ terminationis, quamvis tale non sit sub conceptu entitatis, & perfectionis. Ergo tale decretum liberum ex parte Dei sub conceptu puræ terminationis non potest Deo esse medium certò cognoscendi pœnitentiam Tyriorum, & alias veritates revelatas purè conditionatas. Major, & minor probantur à M. Goneri sub eisdem terminis ubi supra §. 6. in solutione ad rationem dubitandi sibi propositam. Consequentiam verò efficacissimè suadeo. Nullum formaliter defectibile, in Deo potest ipsi, nec alteri esse medium certò, & infallibiliter aliquid cognoscendi. Sed tale decretum sub conceptu puræ terminationis est in Deo formaliter defectibile. Ergo tale decretum subjectivè ex parte Dei sub conceptu puræ terminationis non potest esse medium, in quo Deus certò cognoscat pœnitentiam Tyriorum sub conditione futuram, nec hujusmodi alias veritates revelatas. Relinquitur ergo, hujusmodi decreta non solum esse impossibilia ob rationes, quas contra ea supra efformavimus; sed prorsus otiosa, & inutilia ad finem cognoscendi veritates in Scripturis Sanctis revelatas; ac proinde nullum esse Thomisticæ Scholæ fundamentum ad adstruendam suam scientiam conditionatam, sive mediam visionis posteriorem decreto ex parte Dei absoluto.

120. Probatur quartò Conclusio nostra. Quia (ut constat ex doctrinâ cum M. Angelico supra in præludiis stabilitâ) licet Deus sit perfectissimè liber, ut ponat, & non ponat extrâ creaturas, & ejus objecta libere volita, non est liber ad hoc, ut habeat, vel non habeat aliquam perfectionem sibi necessariam. Sed ad perfectionem necessariam scientiæ divinæ pertinet cognoscere omnes veritates creaturarum, quin ex earum existentia, sive futuritione tam absolutâ, quam purè conditionatâ, aliqua perfectio superaddatur, aut accrescat divinæ scientiæ. Ergo Deus independenter à decreto absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, debet

pluribus rationibus.

Probatur 4. Quia ad scientiam Dei necessariam pertinet scientia de rebus sub conditione futuris, independenter ab omni decreto.

debet cognoscere non solum pœnitentiam Tyrriorum purè conditionatam, & alias hujusmodi; sed & alias veritates creaturarum, quæ respectu nostri dicuntur absolute futuræ. Major constat. Tum quia, ut loco citato prænotavimus, objectum divinæ libertatis non est necessarium, sed formaliter contingens: Tum quia Pater, & Filius licet sint actu perfectissimè liberi, non liberè; Sed necessariò producunt Spiritum Sanctum; alias sicut mundus potuit esse, & non esse ex plenissimo divinæ libertatis dominio, sic Spiritus Sanctus potuisset esse, & non esse ex ejusdem Dei dominio: Quod absurdissimum, & hæreticum est. Minor verò probatur. Tum quia de ratione perfectissimi artificis etiam creati est, præcognoscere in aliquâ ratione, aut ideâ sibi formatâ, opus suæ artis, antequàm pro suæ voluntatis libito illud ad executionem deducat. Atqui Deus ex perfectione necessariâ suæ naturæ est primus, supremus, & sapientissimus artifex omnium factibilium. Ergo antequàm factibilia extrâ causas suo decreto deducat, opus est; præcognoscat, scientiamque habeat, eorum omnium, quæ suo decreto contendit extrâ producere; sive hoc decretum sit absolutum tam objectivè, quàm subjectivè; sive absolutum tantum subjectivè, & conditionatum ex parte objecti, quale Thomistica opinatur Schola. Major, & minor constant ex iis, quæ in primæ Quæstionis præludis auctoritate, & ratione illustravimus.

Illud principium: nihil volitum, quin præcognitum suum locum semper obtinet in Deo.

121. Consequentia verò legitimè inferitur. Tum etiam quia principium illud universaliter verum; videlicet *nihil volitum, quin præcognitum*; suum locum principis in Deo debet semper obtinere. Si enim Angelus, & homo nihil possunt velles, & amare, quin prius vel prioritate naturæ, vel prioritate rationis, præcognoscant objectum illud, ratio quod eorum voluntas affectivè tendit: Quare Deo perfectissimo agenti libero denegabitur prænotio, & eorum omnium præcognitio, quæ vult tam affectivè, quàm effectivè facere? Ergo antequàm Deus efficaciter ex parte sui velit pœnitentiam purè conditionatam Tyrriorum, & alia objecta purè conditionata, debet illa, independentè à suo decreto, secundum omnes sui circumstantias præcognoscere; aliter in incognitum illius, quod conditionatè decernit, ferretur, & cæco modo procederet. Ergo scientia conditionata, quâ Deus certo præcognoscit pœnitentiam Tyrriorum, & alia hujusmodi objecta, non potest esse posterior decreto illo subjectivè, & absolute ex parte Dei; sed omni decreto absoluto omninò anterior. Cum ergo pro adstruendâ tali scientiâ, Thomi-

stica Recentior Schola hujusmodi decretum noviter pro hujus controversiæ disputationibus intruserit; palam fiet, quam infelici auspicio ejusdem meditatio fuerit adjuventâ.

122. Probatur quintò Conclusio. Quia Thomisticum hoc decretum vel ponit suum objectum purè conditionatum; v. g. pœnitentiam Tyrriorum, quæ in Deo independentè à tali decreto, objectivè præcessit; vel quæ non præcessit objectivè in Deo? Si primus: Ergo independentè à decreto illo subjectivè tantum ex parte Dei; Deus prænotat pœnitentiam purè conditionatam Tyrriorum. Sed scientia illa, quâ præcivit pœnitentiam illam conditionatam, ex ipsâ conditione objecti dicitur conditionata. Ergo scientia conditionata est anterior omni decreto libero Dei non solum absoluto ex parte actus, & ex parte objecti; sed etiam quocumque decreto subjectivè tantum ex parte Dei; & hæc est scientia conditionata, sive media, quam professâ lite universa Societas cum magno exteriorum agmine feliciter propugnavit; & adhuc validorum athletarum, ejusque manus extenta. Si verò secundum: Ergo Deus planè ignoravit ante suum decretum, quod suo decreto determinavit, & post decretum agnovit. Ergo casu, quo (ut potuit) non determinaret, aut prædeterminaret pœnitentiam purè conditionatam Tyrriorum, Deus hanc veritatem in scripturis revelatam, ignoraret. Patet consequentia. Quia veritas illa revelata ante tale decretum nec fuit præcognita, nec potuit præcognosci. Sed eam post decretum non prænotaret; quia, ut supponitur, decretum illud liberum ex parte Dei non esset. Ergo hujusmodi veritatem revelatam Deus ignoraret ex defectu medii, in quo illam cognosceret. Tunc sic. Atqui consequens istud maxime derogat infinitæ perfectioni scientiæ divinæ. Ergo.

123. Minor sublumpra probatur primo. Quia sicut non dependet ab ullo decreto actu terminativè ex parte Dei, quod Deus sit omnipotens, sive infinite potens; sic à nullo decreto terminativè existenti in Deo, dependet, quod Deus sit infinite sapiens. Ergo sicut secluso omni decreto actu terminativè producendi mundum, aut aliam quamlibet creaturam, æquè, & eodem modo esset omnipotens, ac nunc est; sic æquè, & eodem modo esset infinite sapiens, ac modo est. Patet consequentia; & ratio hujus securæ, & certissimæ Theologiæ est. Quia nulla perfectio divina quantum ad sui existentiam naturalem subditur actus libero Dei terminativè: Quia actus liber Dei terminativè non aliud objectum sibi vendicat, quàm ipsos

ipfos creaturarum effectus extrâ existentibus, aut exituros, juxta modum à suâ providentiâ præscriptum. Ergo sicut perfectio infinita omnipotentia, secluso omni decreto actu terminativè, & independentè ab illo actu maneret, verèque diceretur Deus, ac esset omnipotens, vel infinitè potens; eò quòd ex infinitis objectis, quæ scientiâ necessariâ cognoscit, possit, quæcumque veller, liberè facere; sic secluso omni actu terminativè liberè ad extrâ, Deus esset eodem modo infinitè sapiens. Est tamen hoc discrimen inter perfectionem divinæ omnipotentia, & infinitæ Dei sapientia perfectionem; quòd divina omnipotentia perfectio salvatur in eo præcisè, quòd infinita in infinitum possit facere, quamvis actu exercito nihil extrâ producat: At divinæ sapientia, aut scientia Dei perfectio consistit in eo, quòd actu infinita sciat, atque prænoscat: Non enim Deus est sciens, & infinitè sapiens ex eo, quòd possit scire; sed ex eo, quòd actu infinitè, & perfectissimè cognoscat. Et hujus ratio est. Quia Deus extrâ non fertur, ut sciat, atque cognoscat, sicut fertur ad extrâ, ut actu terminativè liberè velit, & operetur. Ergo perfectioni divinæ scientia maximè derogaret, si aliquam veritatem ex revelatis, ex defectu sui objecti terminativè possit ignorare.

124. Probatur secundò illa minor. Quia si à decreto illo absoluto, & terminativè ex parte Dei dependeret, quòd Deus certò præsciret illam Tyrionum pœnitentiam, & hujusmodi veritates conditionatas; fieret, quòd vel tale decretum esset causa divinæ scientia, sicut est earum objecti purè conditionati; vel quòd illud objectum purè conditionatum esset causa scientia Dei. Utrumque autem est contra expressa Sancti Thomæ principia, veramque Theologiam. Ergo. Major patet. Quia si antè decretum Deus non haberet illam scientiam de illis veritatibus revelatis, necesse est assignare causam illius scientia, quæ vel sit ipsum decretum, à quo dependet illarum veritatum scientia conditionata, utpotè in illo fundata; vel ipsum objectum, cujus est causa tale decretum. Minor quoad utramque partem constat. Quia nihil in Scholis, ac in Theologia magis obvium, quàm id, quòd cunctis Theologis notum est; videlicet objecta creatura non esse causam divinæ scientia, sicut sunt causa scientia creatura. Nec minus certum est, decretum liberum actu terminativè non posse esse causam præscientia divinæ: Tum quia decretum, quodcumque sit, terminativè solùm est causa objecti, aut termini creati extrâ Deum: Tum quia, ut dictum est supra,

decretum actu terminativè liberum sub conceptu puræ terminationis est defectibile, ut est jam Recentiorum Thomistarum opinio. Sed nullum defectibile, & contingens potest esse causa scientia Dei etiam conditionata; cum hæc sit certissima, & infallibilis. Ergo.

125. Illa minor tertio probatur. Quia decretum illud terminativè, & absolutum ex parte Dei est causa efficax sui objecti purè conditionati; v. g. pœnitentia, & conversionis purè conditionata Tyrionum. Sed omnis causa, præsertim divina, dat esse, sive existentiam suo termino, cujus est causa. Ergo tale decretum dat aliquod esse, sive existentiam pœnitentia illi revelata, & purè conditionata Tyrionum. Tunc sic. Sed hujusmodi decretum nullum esse præstat, nec præstare potest conversioni purè conditionata Tyrionum, nec cuicumque alteri objecto purè conditionato. Ergo. Primus syllogismus satis constat ex DD. Thomistis. Minor verò subsumpta suaderetur. Quia, ut constat ex Divi Thomæ doctrinâ supra allegata; & sæpè alibi, duplex esse, aut existentia consideratur ex parte rerum: aliud intentionale, & intelligibile, quòd res habent in mente intelligentis: Aliud Physicum, & naturale, quòd res habent extrâ intellectum in suâ propriâ naturâ; de quo principio est latè à nobis disputatum in Opusculis Philosophicis, tum etiam in Theologicis. Sed nec esse intentionale, aut intelligibile, nec esse Physicum, & naturale in propriâ naturâ præstat objecto, aut termino decretum actu terminativè absolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Ergo. Minor probatur. In primis non præstat tali objecto esse, sive existentiam Physicam, & naturalem; alias pœnitentia purè conditionata haberet aliquam existentiam Physicam, & naturalem purè conditionatam: Quòd quidem chymæricum est, & omninò imperceptibile: quis enim unquam vidit hujusmodi pœnitentiam, & alias veritates purè conditionatas physicè, & in propriâ suâ naturâ existentes? Cum enim physica earum existentia ex ipsâ terminorum apprehensione dependeat à conditionibus, sub quibus aut revelantur, aut cognoscuntur; ipsis absolute non existentibus, nec unquam exituris in suâ propriâ naturâ; imperceptibile est, illis ut purè conditionatis existentiam physicam, & naturalem posse competere. Nulla ergo est excogitabilis existentia physica, & naturalis in rebus, aut objectis purè conditionatis.

126. Rursus hujusmodi decretum terminativè ex parte Dei non præstat suo objecto aliquod esse objectivum, & intentionale

Illud decretum efficax ex parte Dei nullum esse præstare potest pœnitentia Tyrionum.

Item nec illi præstat ali-

quod esse objectivum, & intentionale. tionale purè conditionatum: Tum quia hætenus in Scholis auditum, non est Deum per sua decreta terminativè libera conferre rebus ipsis, quæ per ipsum decernuntur, esse objectivum, & intentionale: Tum quia esse intentionale, & intelligibile rerum, ut citatis præludivis demonstravimus ex Sanctis Patribus, solum pertinet ad essentiam divinam ut imitabilem à creaturis, sive (quod idem est) ad illas rationes, sive idæas rerum expressivas, quæ necessariò competunt Deo ex perfectione illà supremi, & infiniti artificis: Quam Divus Thomas, & alii Sancti Patres agnoscunt, & probant in Deo. Ergo de primo ad ultimum illa Thomistarum decreta non solum ut otiosa, & inutilia ad cognoscendas veritates illas purè conditionatas; sed ut penitus repugnantia concipiuntur.

Dicet aliquis, præfato discursu multum quidem probari: Probat enim, per decreta divina absoluta tam ex parte actûs, quam ex parte objecti Deum non cognoscere aliquid novi, nec veritates absolutas futurorum contingentium, quæ vel jam existunt, vel pro suâ differentiâ temporis exitura sunt: Hoc autem videtur esse contra mentem Sancti Thomæ, & communem Theologorum sententiam asserentium, Deum certò, & infallibiliter cognoscere omnia contingentia, & libera absolutè futura. Ergo prædictum rationcinium multum, aut nihil probat. Sequela verò manifestè ostenditur. Quia ante decretum absolutum tam ex parte actûs, quam ex parte objecti, nullum objectum creatum fuit absolutè futurum: Aliàs jam futura non essent liberè, & contingentè; sed necessariò futura. Sed post decretum non cognoscuntur de novo futura, nec Deus cognoscit de novo aliquam veritatem, quam independentè à divino decreto terminativè absoluto non prænosceret; nec tale decretum actu terminativè ex parte Dei, sive absolutum, sive conditionatum ex parte objecti, potest esse medium cognoscendi veritates contingentiam sive absolutè, sive conditionatè futurorum. Ergo ratio adversus Thomistas formata aut nihil convincit, aut probat contra receptissimam, verissimam, & communem Theologiam.

Verum instantiâ detego insignem æquivocationem.

128. Verum aut me falsum in hoc puncto deprehendo, aut insignis later hic æquivocatio ab aliquorum præjudicio ableganda. Respondeo ergo negando, ex discursu supra factò vel in minimò lædi Divi Thomæ doctrinam, aut ex eo quidquam contra veram Theologiam produci: Proprium ergo judicium, quamvis ex prænotatis in primâ Quæstione, facilè con-

stet, hic (præter infra dicenda) breviter per partes aperio. Sentio igitur primo Deum, dum certò cognoscit ea, quæ per decretum actu absolutum, & terminativè liberum vel existunt, vel respectu nostri sunt absolutè exitura, certò prænoscere. Quæ quidem nova sunt, non autem novitate se habente ex parte scientiæ, aut cognitionis divinæ; sed solum novitate tenente ex parte creaturarum existentium, aut futurarum: Quemadmodum omnes tenentur dicere, certò prænoscere omnes sunt formaliter contingentia; ita tamen ut contingentia non se habeat ex parte scientiæ, & sapientiæ divinæ: Sed solum ex parte rei cognitæ. Sentio secundò Deum non cognoscere, posito decreto de producendis creaturis, eas ut futuras respectu suæ scientiæ, & cognitionis; quamvis clarè cognoscat, eas respectu nostri esse futuras. Utriusque ratio constat ex supra notatis cum Divo Thomâ, & præstantissimo Theologo Boëtio. Primi. Quia futurum ex suâ ratione formali est, quod nunc non est; erit tamen postea pro aliâ temporis differentiâ, quæ nondum existit. Sed respectu Dei, & suæ scientiæ omnes temporis differentiæ sunt ipsæ præsentès ratione suæ æternitatis, quæ omni tempori est indivisibiliter, & infinite tota simul; & ratione suæ scientiæ, quæ unico intuitu non successivè, ut nos; sed simul simultate ex parte sui actûs, quasi de præalto, & infinite comprehensivo suæ æternitatis speculo, omnia, quæ respectu nostri sunt absolutè futura, ut sibi præsentia contemplatur. Ergo comparativè ad scientiam Dei non cognoscit Deus futura ut futura; sed solum ut sibi præsentia ea, quæ relativè ad nos futura sunt. Hic discursus manet fusiori calamo probatus supra, præcipuè præludio 4. probatione 3. meditat. 2. omninò videndâ. Et ratio est. Quia cum esse nostrum sit successivum, utpotè subjacens temporis successivo, & per istud mensuratum, non potest sibi præsentès simul habere res, quæ ipsâ temporum successione, & mutabilitate decurrunt: est enim tempus motus secundum prius, & posterius: quod quidem de esse Dei, ejusque æternitate, & scientiâ absurdum, & indignum esset cogitare.

129. Sentio terciò. Deum independentè ab omni decreto absoluto terminativè ad extra, prænovisse omnia, quæ hæc, & nunc dicimus absolutè futura, non quidem ut futura, aut existentia, quantum ad existentiam propriam, & naturalem physicam suæ naturæ; sed solum objectivè in essentiâ divinâ ut infinite imitabili, aut in rationibus, sive idæis ipsi naturæ divinæ debitis. Unde hæc omnia, quæ in hac rerum serie geruntur, non solum

solùm quantum ad causas necessarias, & liberas; sed etiam quantum ad ejus effectus contingentes, & actus liberos sive absolutos, sive purè conditionatos, objectivè, & intentionaliter certissimè prænotavit. Constat etiam hic dicendi modus ex iis, quæ Præludio secundo per totum expendimus, cum pluribus prænotatis Præludio etiam 3. quæ nec aliâ probatione, nec majori auctoritate indigent. Ex quibus ibidem subintelligi, eandem perfectissimam scientiam, quam modò Deus habet de totâ hujus mundi serie, & rerum, quæ in eo geruntur, prorsus habiturum; quamvis totus hic mundus (ut potuit) exhibitio Dei defuisset. Constat ex Proposit. 2. in 4. Præludio, & Proposit. 3. & 4. in quâ per totam latissimè prænotatio hoc explicatur. Sentio igitur quartò ea omnia, quæ per decretum actu terminativè absolute liberum sunt absolute aut existentia, aut absolute futura, certissimè cognosci à Deo, non in se ipsis, & in propriâ naturâ immediate; sed in suâ essentiâ divinâ, aut in rationibus, sive idæis talium objectorum expressivis, posito tamen decreto libero immutabiliter ex parte sui determinanti, imò operanti talia objecta extra causas. Constat similiter hic modus sentiendi ex Propositione 2. supra in Præludio 4. præactâ, ubi rationibus, exemplis; & auctoritate Sanctorum Augustini, & Thomæ hæc doctrina illustratur.

130. Ex his pro illius materiæ intelligentiâ, unum vel alterum facile colliges, Primum est, objecta absolute futura posse considerari in ratione scibilis, & prout sunt objectum divinæ scientiæ, & posse considerari in quantum sunt formaliter contingentia, & contingentè existunt in propriâ suâ naturâ ex vi divini decreti præfinitis ea, ut contingentè existant in se ipsis. Si hoc secundo modo considerentur, non sunt objectum scientiæ Dei: Tum quia nulla scientia, adhuc creata, est de contingentibus, ut sunt contingentia formaliter: quia contingentia ex peculiari ratione possunt aliter se habere; secus autem scientia præfertim divina: Tum quia Deus ea non cognoscit in se ipsis immediate, & in propriâ suâ naturâ, quo pacto sunt formaliter contingentia. Si verò considerentur in ratione scibilis, & prout sunt objectum divinæ scientiæ: tunc ea, quæ sunt formaliter futura, & formaliter contingentia in se ipsis, cognoscit quidem Deus certissimè, non tamen in se ipsis, ut dictum est; sed in medio divinæ essentiæ, in quo habent esse intentionale, & intelligibile; cum sit veluti imago, speculum, aut similitudo omnium factibilium, sive hæc sint necessaria ex naturâ suâ, & propriâ quidditate, sive contingentia, & libera. Pro quâ explicatione videntur esse, quæ supra prænotavimus quæst. 1. prælud. 1. 2. & seq.

Theol.

131. Colliges secundò rationem, vi cuius etiam si deficerent omnia contingentia absolute futura, quæ ex voluntatis divinæ proposito existunt secundum suum esse contingens, & proprium suæ naturæ: non tamen scientia eorum deficeret in Deo. Ratio est. Primò Quia deficientibus illis, non deficeret essentia divina, quæ est medium hujusmodi objecta cognoscendi. Sed manente medio cognoscendi in mente divinâ, non potest non manere cognitio & scientia divina de hujusmodi objectis. Ergo. Major patet. Minor probatur, & explicatur. Quia cum Petrum extra speculum materiale existentem, & retrò mihi positum, conspicio in illâ imagine speculi, quæ de illo mihi apparet: Certè video ipsum Petrum, qui in propriâ suâ naturâ extra speculum existit: non quidem immediate in se ipso ut existenti in suo esse proprio, & naturali; sed solùm in imagine expressivâ illius, quæ ob oculos mihi extra speculum observatur: unde in tali casu Petrus est mihi objectum visibile non immediate in se ipso, prout existit in suâ propriâ naturâ; sed solùm in medio illo suæ speciei, & imaginis, in quâ Petrus habet esse intentionale & objectivum: Unde si deficiente Petro secundum esse proprium suæ naturæ physicæ, Deus nihilominus conferret speciem illam, & imaginem Petri in speculo, eodem modo viderem ipsum Petrum, ac antè videbam. Sed de hoc non potest alia ratio reddi, nisi quia maneret idem medium videndi Petrum, in quo ipse haberet esse intentionale & objectivum, ut ipsamet experientia ostendit. Ergo cum omnia contingentia absolute futura habeant esse intentionale, & intelligibile in essentiâ divinâ, in eâque veluti in medio certissimè cognoscantur, tali medio manente, etiam si omnia contingentia absolute futura deficerent secundum suum esse proprium & contingens, non posset non manere eodem modo cognitio certissima, & scientia divina de hujusmodi objectis.

Datur ratio, cur in Deo non deficeret scientia de contingentibus absolute futuris, quamvis omnia deficerent.

132. Secundò. Quia si deficientibus hujusmodi futuris contingentibus, deficeret aliquo modo perfectio divinæ scientiæ circa illa, fieret quod hujusmodi contingentia, & futura essent medium, & causa scientiæ, quam Deus de his habet. Hoc autem, ut ostendi supra, est falsum, & contra mentem Sanctorum Patrum: falsum: quia medium formaliter contingens, formaliterque defectibile nõ potest esse causa ullo modo scientiæ perfectissimæ & indefectibilis: contra Sanctorum Patrum mentem, quia D. Dionysius ubi supra Præludio 4. proposit. 2. ait: *Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse irradiat, secundum eandem causam sciet omnia, & non ex existentibus sumet eorum cognitionem.* Et Sanctus Augustinus tract. in Symbolum cap. 1. ibi: *Sicut omnia cœlestia,*

Idem probo ratione, & SS. Patrum auctoritate.

Et terrestria, ac minima quæq; prospiciat Deus; nihil tamen extra se intelligere; sed singula inveni dicitur. Et lib. 83. quæstionum, in q. 48. Ibi: Sacilegum est asserere, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum. Et Doctor Angelicus 1. part. quæst. 14. artic. 5. Ibi: Illa verba Augustini dicentis, Deum nihil extra se cognoscere, sic esse intelligenda, non quasi Deus nihil, quod sit, extra se intueatur; sed quod id, quod est extra se ipsum, non intuetur nisi in se ipso. Quod in exemplo nuper adducto facile intelligitur. Nam qui videt Petrum in speculo, non potest dici, quod non videat Petrum existentem extra speculum: potest tamen, & debet dici, quod videt extra speculum, sed in speculo.

Deus inde pcedenter ab omni decreto, perfectissimè scit omnes veritates tam purè conditionatas quam absolute futuras.

133. Colliges denique, Deum independenter ab omni decreto actu terminativè libero perfectissimè scire omnes veritates sive purè conditionatas, sive absolute futuras omnium rerum, quæ in hac mundi serie contingunt; ita ut per decretum actu terminativè liberum non ponatur de novo objectum aliquod proprium divinæ scientiæ: sed solum Deus per suum decretum terminativè det objectis divinæ scientiæ esse formaliter contingens, & proprium suæ naturæ. Quæ duo sunt valde diversa, & digna notatu. Ratio est. Quia actus liber Dei terminativè non dat rebus esse intelligibile, & intentionale in mente divinâ: cum hoc esse habeant res ex infinitâ perfectione essentiar, & scientiæ Dei; sed solum confert illis esse physicum & naturale in propriâ naturâ quod utpotè creatum, & extra Deum est formaliter contingens, à quo ut tale, certè certius est, scientiam Dei non dependere. Relinquitur ergo subillatum discursum supra adversus decreta absolute terminativè ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, ex ipsis Divi Thomæ principiis maxime urgere Scholam Thomisticam, scientiamque conditionatam hujusmodi decretis posteriorum, & in eis fundatam, rationibus Theologicis, & Sanctorum Patrum auctoritatibus penitus everti, & funditus convelli. Alias mitto rationes, quæ pro hac nostrâ conclusione videri poterunt in nostris Doctoribus, à quibus meritò abstinemus, ne quæ meliori stylo luculenter scripta, & impressa sunt, repetamus. Nunc jam secundæ conclusionis operi accingamur.



LECTIO III.

Secunda conclusio sit. Scientia conditionata, sive media est necessariò statuenda in Deo; illique omnino concedenda independenter ab omni decreto actu terminativè libero absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti.

134. **H**Anc Thesis ut validissimum divina Providentiæ mirum hæcenus propugnavi, & pro eâ usquequaque impigre universa Jesuitica Societas Schola certavit; in ejus subsidium suppetit aliorum Doctorum numerosum agmen, quos Patres Annatus, Henao, Boruli, & alii nostri Scriptores ad longum referunt. Ante cujus exactam probationem, opus est, nonnulla cursim recollere ex his, quæ supra quæst. 1. prænotavimus.

135. Unde ex dictis in primo, & secundo Præludiis, nota primò, quod sicut fabrica alicujus aulæ, sive domus duplex solè habere esse: aliud in mente artificis, antequam materialiter, & opere externo fiat, quod esse dicitur intentionale, & objectivum, eo quod juxta regulas artis sibi format aliquam rationem, sive ideam; in quâ totam fabricam præcognoscat: Alterum verò esse physicum, & artificiale; illud videlicet, quod habet domus, postquam opere externo ex suis materialibus à fundamentis constructur: Sic fabrica hujus mundi secundum omnia, quæ illam mirabiliter commendant, duplex etiam habet esse: aliud, quod dicimus intentionale, & objectivum, in essentiâ, & mente Artificis divini, in quâ veluti in clarissimo, & infinito speculo representantur omnia, quæ à Supremo Artifice fieri, & fabricari valent: Aliud est esse physicum, & naturale, quod oculis tam mentis, quam corporis perspicimus, & demiramur in hujus universi recto ordine, & fabricâ.

126. Nota secundò. Ut ex iis, quæ facta sunt, invisibiles Dei perfectiones investigemus, quod sicut hujus mundi fabrica secundum suum esse physicum, & externum (quam dicimus, intueri Deum scientiâ visionis, juxta explicationem supra datam) mirabili suæ pulchritudinis nexu coalescit, componiturque; ex varietate temporum, diversitate rerum, ordine causarum secundarum; quarum alix ex suâ quidditate sunt determinatæ ad unum in operandum, ut

ut ignis ad comburendum, Sol ad illuminandum; alia verò utpotè libero arbitrio prædita in operâdo sunt indifferentes ad utrumlibet; ut homo indifferenter se habet ex conditione & modo suæ naturæ ad amandum vel non amandum, &c. Ita ut Deus hunc ordinem causarum non solum certò cognoscat quantum ad virtutes agentium; sed etiam quantum ad earum effectus, sive actus tam necessarios, quam contingentes, & liberos, eorumq; circumstantias, occasiones, auxilia, & adminicula, quibus in hac occasione fiunt, in alia verò non fiunt: Sic hæc eadem mundi fabrica consideratur in Deo ut supremo Artifice secundum esse intentionale, intelligibile, & objectivum, componitur in esse representativo, & intentionali ex his omnibus, quæ recensuimus, & experientia ostendit, competere huic mundi fabricæ secundum esse proprium, & naturale consideratæ; ita ut hunc eundem ordinem sive temporum, sive rerum, sive agentium naturalium, sive liberorum, eorumq; actus tam liberos, quam necessarios, auxilia, sive naturalia sive gratuita, quibus liberè fiunt; Deus in essentiâ suâ ut infinite imitabili, aut in suis rationibus, sive idæis contempletur, & sciat in esse intentionali, & representativo, independenter ab omni decreto libero terminativè, sive absoluto ex parte actûs & objecti, sive absoluto solum subjectivè ex parte actûs, & conditionato ex parte objecti, ut latè constat locis supra citatis.

137. Unde sicut ego possum dupliciter videre Petrum, uno modo, v.g. quando illum video secundum suum esse naturale, proprium, & physicum suæ naturæ: alio modo, quando eundem Petrum video in specie, aut idæa ipsius formatâ in speculo secundum suum esse intentionale & objectivum; certè eandem faciem, figuram, & cætera lineamenta, quæ in Petro vidi extra speculum secundum suum esse proprium, & naturale existente; eadem, inquam, conspicio, dum ipsum video in illâ specie, aut idæâ speculi. Ad hunc igitur modum proportionis analogiâ servatâ, dicimus, Deum totius hujus mundi fabricam videre: primò scientiâ visionis, quatenus omnia existentia, & respectu nostri absolute futura, secundum suum esse physicum, & reale videt in se ipso; hoc est, in suâ divinâ essentiâ, posito decreto libero terminativè & absolute præfinitenti mundum extra se, & in suâ propriâ naturâ. Secundo, scientiâ necessariâ, quatenus independenter ab omni decreto terminativè, & absolute existenti in Deo, certissime cognoscit eandem mundi fabricam, ejusq; ordinem causarum, & suorum effectuum tam naturalium, quam contingentium, & liberorum in suâ divinâ essentiâ, in quâ habent esse intentionale & intelligibile; longè perfectiori modo, quam Petrus habet esse illud intention-

Theol.

nale, & objectivum in specie impressa materiali speculi; cum hæc solum sit species accidentalis expressiva Petri, essentia verò divina sit species substantialis & expressiva similitudo non solum hujus mundi secundum rerum seriem, quam de facto ex beneplacito divinæ voluntatis habet in suâ propriâ naturâ; sed secundum alias, & alias series, rerum combinationes, & circumstantias, quas potuit Deus producere secundum esse physicum; noluit tamen eas disponere. Pro quâ doctrinâ mihi sanè certissimâ, videri poterunt, quæ ex Sanctis Patribus expendimus in hujus controversiæ Præludiis.

138. Nota tertio ex prænotatis etiam supra Præludio 4. proposit. 5. per totam, quod sicut Deus scientiâ visionis unico intuitu hujus mundi fabricam comprehendens secundum suum esse physicum, & naturale, certò cognoscit pro suis temporum differentiis, quibus (juxta dicta supra) præfinitissimus est, non solum causas liberas & contingentes in operando, sed etiam earû effectus, & actus liberos; ita ut istos non videat in suis causis liberis, & certò futuros; sed solum ut possibiles & contingentes; sed solum illos certò cognoscat in suis temporum differentiis, necessariò necessitate conditionatâ, & ex suppositione, quod jam sit, ut cum Boëtio, & Divo Thomâ dicebam de ambulatione Petri, loco supra citato: sic etiam Deus, dum eandem mundi fabricam secundum eundem ordinem, & rerum seriem in suâ essentiâ ut infinite imitabili, vel in suis rationibus, aut idæis certò, & necessariò cognoscit secundum esse objectivum, & intentionale, in eis, quatenus exprimunt, & representant causas liberas, & liberum nostrum arbitrium etiam cum omnibus principiiis, & adminiculis ad operandum, non cognoscit etiam secundum esse intentionale, earum actus liberos ut certò existentes; sed solum ut possibiles, & contingentes possibili, & contingentia causarum, Quia tamen ultra comprehensionem causarum contingentium, & nostri liberi arbitrii necessario est, comprehendat earum operationes, aut non operationes liberas, non solum divina cognitio; sed quasi progreditur, ut cognoscat etiam certissime secundum esse intentionale & objectivum, sub iis circumstantiis, & adminiculis ad operandum modò hunc actum liberum, modò alium, modò consensum voluntatis, modò dissentium.

139. Ratio primi est. Quia Deus solum cognoscit causam liberam, sive liberum nostrum arbitrium in essentiâ divinâ, sive in suâ idæâ, & ratione, ut expressivâ, & representativâ ipsius liberi arbitrii secundum quidditatem suæ naturæ, & conditionem. Atqui quidditas naturæ, & liberi arbitrii conditio est, quod positis omnibus principiiis, & adminiculis sive naturalibus, sive gratuitis ad

L 2

operan-

Deus unico intuitu hujus mundi fabricam comprehendens, non solum cognoscit causas & earum effectus; sed etiam ipsos pro suis temporum differentiis.

Probo, Deum non cognoscere in idæâ causæ libertate determinatam, g. præ notate.

operandum, sit indifferens ad utrumlibet, ad amandum scilicet, & non amandum, &c. Ergo ratio, aut idæa, quam Deus necessario habet de libero arbitrio, solum repræsentat ipsum cum indifferentiâ ad utrumlibet. Ergo adhuc secundum hoc esse intentionale non repræsentat determinatè amorem, nec determinatè non amorem. Ergo Deus in tali ratione, sive idæa solum cognoscit actu secundum esse intentionale liberum arbitrium; ejus verò actus solum ut possibiles possibilitate, & contingentia quidditatiuâ causæ in operando: Sicuti hoc ipsum cognoscit scientiâ visionis, dum præcisè liberum cognoscit arbitrium secundum suum esse physicum, & naturale: Imò causa, & ratio cognoscendi sic in propria naturâ, est illud prænovisse tali modo secundum esse intentionale, Sicut in artifice causa, & ratio cognoscendi domûs fabricam sic dispositam opere externo, est illam prænovisse in idæa, quam de illâ intentionaliter in suâ mente formavit: Quod idem accidit in pictore.

Deus ergo cognoscit actus liberos determinatè in eorum idæis exprimentibus illos sub quibuscumque administrantibus, & circumstantiis.

140. Ratio secundi est. Tum quia, cum essentia divina sit infinite imitabilis, & ut talis necessario cognoscatur à Deo, non solum est imitabilis à causis liberis, earumque comprincipiis, & adminiculis; sed etiam ab actibus liberis. Ergo ad infinitam divinæ essentia perfectionem pertinet habere etiam idæas omnium operationum liberi arbitrii, & causarum contingentium in quibuscumque circumstantiis, & occasionibus, & sub quacumque hypothesi, & conditione, quas intellectus noster dicere, & formare potest; ut expressit Divus Thomas ubi supra proposuit.

7. locis citatis, ibi: *Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel excogitari, vel dici, & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia scit Deus.* Nunc sic. Sed implicat, Deum habere idæas omnium operationum liberi arbitrii sub quocumque ordine, & serie rerum, quas Deus potest facere, quin in illis certissimè cognoscat omnes operationes liberi arbitrii sub quibuscumque circumstantiis, comprincipiis, & adminiculis. Ergo Deus independenter ab omni decreto actu terminativè, & absoluto ex parte Dei, certò, & necessario cognoscit omnes operationes liberi arbitrii, omnesque effectus causarum contingentium in quibuscumque circumstantiis, sub quacumque hypothesi, &c. Dixi, & sæpius dixi independenter ab omni decreto actu terminativè existenti ex parte Dei. Quia certò certius est, Deum etiam necessario in se ipso cognoscere potestatem sui liberi arbitrii, & dominii, & actualissimam suæ libertatis perfectionem, quâ liberè possit facere, quidquid voluerit de

his omnibus, quæ necessariò cognoscit, Quam libertatem inter disputandum de objectis liberis purè conditionatis, alii explicant per decretum quod foret. Antecedens primum constat. Consequentia verò probatur primò. Quia si Deus ex necessariâ, & infinitâ perfectione, quæ ei ut supremo artifice competit, non haberet rationes illas, & idæas, in quibus independenter ab omni decreto actu terminativè, præcognosceret omnes operationes nostri liberi arbitrii; fieret primò planè ignorare omnes veritates, quæ ex illis operationibus desumuntur: Secundò Deum absque ullâ suæ providentiæ certitudine eas præfinire: Tertiò per aliquod medium creatum, aut formaliter contingens, & defectibile eas tandem cognoscere; ac proinde aliquod formaliter contingens, aut creatum causare scientiam Dei; Quæ omnia sunt valde aliena ab infinitâ Dei perfectione. Minor verò illa, quam supra subsumpsi, clarè probatur. Quia universaliter loquendo, implicat, quod intellectus habeat sibi præsentem aliquam speciem, verbum, aut idæam alicujus objecti, aut rei expressivam, quin in illâ cognoscat talem rem; ut patet de specie speculi, & de verbo nostri intellectus sæpius ostendi. Ergo implicat, quod Deus habeat sibi præsentem rationes illas liberi arbitrii, quin in illis certò, & infallibiliter prænoscat omnes ejus liberas operationes præsentem illis divinis idæis (quæ sunt illarum omnium similitudines substantialiter expressivæ) in quibuscumque circumstantiis, & occasionibus, in quacumque rerum serie, & sub quibuscumque principii, & adminiculis ad operandum.

141. Ut ergo omnem de purâ voce scientiam Quætionem in puncto aded gravissimo simplicis amoveamus, ex nuper dictis nota denotat est, quæ, eam scientiam, quâ Deus cognoscit nostrum liberum arbitrium, & reliquas causas liberas, & contingentes in suâ divinâ essentiâ ut infinite imitabili, sive omnes liberas, & (quod idem est) in suis rationibus, & obiectis idæis, tamquam in medio talium causarum, & nostri liberi arbitrii expressivo, dici à nobis scientiam simplicis intelligentiæ; tum propter rationes, quibus communiter utuntur Theologi: Tum quia in hujusmodi idæis, & rationibus non cognoscuntur operationes liberæ, nec effectus ex suâ quidditate contingentes, adhuc secundum esse intentionale, & obiectivum. Cujus ratio est, quam nuper attigimus. Quia in medio expressivo cause liberæ ex suâ quidditate, & conditione indifferents ad utrumlibet, solum possunt cognosci ejus operationes ut possibiles: Sub quâ consideratione merito dicitur

ab omnibus talis scientia, simplicis intelligentiæ. At verò scientia illa, quæ ut omnia comprehendat, & supercomprehendat Deus, cognoscit independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte sui, omnes operationes nostri liberi arbitrii, omnesque effectus ex suâ quidditate contingentes, sub quibuscumque circumstantiis, & comprincipiis, secundum esse intentionale, & objectivum, in essentiâ divinâ ut ab ipsis imitabili, aut in rationibus, & ideis, quæ exprimunt, & ipsi Deo repræsentant tales liberas operationes, & effectus ex suâ quidditate contingentes: Illa, inquam, scientia dicitur à nobis conditionata, sive mediâ; non quia ex parte actus divini conditionata sit, ut est communis sensus Jesuiticæ Scholæ: Sed quia omnes veritates purè conditionatæ, quæ in Sacris Scripturis revelantur, quæcumque aliæ, quæ pro disputationibus Theologicis formantur à nobis de futuris conditionatis liberis; pertinent ad illam scientiam; & sic sumpto nomine ab illis objectis sub conditione enunciatis, talis scientia jam scientiæ conditionatæ nomen obtinuit: Sicur & hoc ipsum tenentur dicere Recentiores Thomistæ de suâ scientiâ conditionatâ posteriori decreto absoluto subjectivè ex parte Dei, fusiori calamo à nobis in primâ Conclusionem impugnatam.

142. Dicitur etiam scientia mediâ, & inter nos non incongruè hoc nomen obtinuit ab ipsis objectis conditionatis. Et ratio nominis est. Quia hujusmodi objecta conditionatè futura, nostro modo intelligendi, mediant inter objecta simplicis intelligentiæ, & inter objecta absolutè futura, quæ pertinent ad scientiam visionis, sive approbationis. Quare autem Thomistica Schola suæ scientiæ conditionatæ, nomea scientiæ mediæ professâ semper lite recusaverit; præter displicentiam nominis ex placito Sapientissimi nostri Molinæ, & nostratum hujc scientiæ inditi; non erit faciliè aliam reddere rationem; præsertim cum ab ipsis Jesuitis nomen scientia conditionata acceptum, sit libenter amplexa: Contra quam, licet hoc ad Quæstionem *Quid nominis spectet*, ut supra notavi, hæc ratio formari potest. Scientia illa posterior decreto absoluto ex parte Dei, & in eo fundata, plenis (ut aiunt) buccis dicitur ab omnibus Thomistis conditionata; quia objecta, circa quæ versatur, sunt purè conditionata. Sed hæc objecta purè conditionata, cum non sint objecta scientiæ simplicis intelligentiæ, nec objecta scientiæ visionis, mediant inter ipsa. Ergo sicut scientia illa ex eo, quod objecta illius sint conditionata, rectè dicitur conditionata, sumpto nomine ex parte obje-

cti conditionati; ex connexionione doctrinæ ad lib. Periherm. rectè posset, & deberet appellari scientia etiam mediâ, quamvis non anterior; sed decreto posterior. Firmatur hæc ratio. Talis scientia conditionata posterior decreto in sententiâ Thomistarum, nec est scientia simplicis intelligentiæ, & necessariæ, nec est scientia visionis absolutæ; sed solum scientia visionis liberæ conditionatæ. Ergo inter illas duas scientias simplicis intelligentiæ, & visionis absolutæ, mediat scientia visionis liberæ conditionatæ. Atqui scientia sic mediâ nostro modo intelligendi, rectè dicitur mediâ. Non est ergo, unde nomen scientiæ mediæ sit Recentioribus Thomistis adeò infensum. His ita; rationes pro stabiendiâ nostrâ secundâ Conclusionem breviter perstringam.

143. Sit prima desumpta ex Angelico Magistro quæst. 2. de scientiâ Dei art. 8. in corpore, ibi: *Dicendum, quod Deus habet cognitionem de rebus creatis per modum, quo artifex cognoscit artificiatâ, qui est artificiarorum causa: Unde in contraria habitudine habet se illa cognitio ad res cognitâs, & nostra cognitio: Nostra enim cognitio quia est à rebus accepta naturaliter, est posterior rebus. Cognitio autem creatoris, de creaturis, & artificis de artificiatâ naturaliter præcedit res cognitâs..... Sed secundum, quod artifex de operabili habet duplicem cognitionem, scilicet speculativam, & practicam: Speculativam quidem, sive theoreticam cognitionem habet, cum rationes operis cognoscit sine hoc, quod ad operandum per intentionem applicet: Sed tunc propriè habet practicam cognitionem, quando extendit per intentionem rationes operis ad operationis finem..... Patet igitur, quod apud artificem potest esse cognitio alicujus artificiatâ; quandoquè quidem quod facere disponit; quandoquè verò quod facere nunquam disponit; ut cum confingit aliquam formam artificiatâ, vel artificij, quod facere non intendit..... Patet ergo, quod Deus potest cognitionem habere aliquorum non entium, & horum quidem quorundam habet quasi practicam cognitionem; scilicet quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ ex ejus scientiâ secundum ejus dispositionem prodeunt; quorundam verò, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt; quæ scilicet nunquam facere disposuit, habet quidem speculativam cognitionem. Sic Sanctus Doctor.*

Primâ pro Conclusionem ratio de sumitur ex S. Thomæ q. 2. de scientia Dei, art. 8. in corpore.

144. Ex quibus multiplex discursus efformatur. Sit primus. Cognitio divina, quam Deus habet de rebus creatis, est ad modum cognitionis artificis; quarum neutra est, sicut nostra cognitio, quæ posterior est rebus: eò quod cognitio creatoris de creaturis, & cognitio artificis de artificiatâ naturaliter res cognitâs præcedunt. Ergo cognitio creatoris universaliter

Unde duplicem discursum colligo.

versaliter loquendo, anterior est ipsis rebus cognitis secundum earum esse contingens. Atqui non potest esse anterior ipsis rebus cognitis, quin sit anterior decreto actu terminativè ex parte Dei, per hoc quod habent esse contingens, & proprium suæ naturæ. Ergo à fortiori scientia, quam Deus habet de futuris purè conditionatis, est anterior omni decreto actu terminativè, & absoluto ex parte Dei. Sit secundus. Quia ut ait S. Doctor ibidem: *Apud intellectum divinum, vel artificis indifferenter est cognitio rei, sive sit, sive non sit.* Ergo cognitio rerum in Deo non dependet ab eo, quod res sint in propriâ naturâ; aliâs cognitio rei in Deo non esset indifferenter, sive res sit, sive non sit. Ergo cognitio rerum indifferenter est in Deo, sive decretum sit, vel non sit actu terminativè ex parte Dei. Ergo cognitio saltem speculativa rerum erit in Deo independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei. Utraque consequentia probatur. In sententiâ Thomistarum res, sive quæ dicuntur conditionatæ, sive quæ sunt absolute futuræ, non possunt esse nisi per decretum actu terminativè, vel absolutum tam ex parte actûs, & objecti. Sed cognitio saltem speculativa. Omnium rerum est in Deo independenter ab eo, quod res sint in suâ propriâ naturâ, & suo esse contingenti. Ergo cognitio omnium rerum, sive quæ dicuntur absolute futuræ respectu nostri, sive quæ dicuntur conditionatæ, est in Deo independenter ab omni eius decreto, sive utrinquè absoluto, sive solum subjectivè ex parte actûs, & conditionatè ex parte objecti. Tunc sic. Sed cognitio illa, quam Deus habet de contingentibus, & liberis conditionatis, est scientia conditionata, & media. Ergo scientia conditionata, sive media est in Deo independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei, & prior illo.

Deinde arguo ex scientiâ speculativâ Dei, de rebus, quas nûquam facere discipulavit.

145. Sit tertius. Sicut apud artificem creatum potest esse cognitio alicujus artificiatum, quandoquæ quidem quod facere disponit; quandoquæ verò quod nunquam facere disponit: Et hanc appellat Divus Thomas theoreticam, sive speculativam cognitionem artificis: Primam verò practicam: Sic Deus habet ex eisdem mente duas cognitiones; aliam practicam, earum scilicet, quæ suo decreto facere disposuit; qualis est cognitio rerum, quæ fuerunt, aut sunt, vel futuræ sunt: Aliam verò speculativam, & quasi theoreticam; qualis est cognitio illa, quam habet de rebus, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquam futuræ sunt. Sed cognitio speculativa Dei est independenter ab omni decreto actu terminativè, & anterior illo;

cum sit de rebus, quas facere non disposuit; quæ cum nec fuerint, nec sunt, nec futuræ sint, non dependent ab ullo decreto, illas practicè præficienti. Ergo scientia conditionata, & media, quæ versatur circa purè conditionata, qualis est scientia de conversione, sive penitentiâ Tyriorum, & de traditione Davidis sub illis conditionibus, sub quibus revelatæ sunt; & aliorum hujusmodi, est omnino anterior omni decreto actu terminativè, ab illoquæ omnino independenter. Major, & minor constant ex verbis Divi Thomæ. Consequentia verò probatur. Quia Angelicus Doctor, sive loquatur de divinis idæis, sive loquatur de scientia, aut cognitione divinâ, non cognovit clarè, & expressè in Deo nisi duas scientias, sive cognitiones circa res creatas, aut creabiles: Aliam speculativam, quæ cognoscit res secundum esse tantum intentionale, sive res, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquam extituras sunt; & aliam practicam rerum, quæ existunt in propriâ naturâ, vel jam extiterunt, vel sunt aliquando extituras. Ergo scientia, quam habet Deus de penitentiâ Tyriorum sub conditione illarum virtutum, & signorum Christi Domini; ac de aliis hujusmodi objectis conditionatis (quam Thomistica, & Jesuitica Scholæ conditionatam appellant, & suâ quæque opinandi viâ Angelico Doctori tribuit) saltem reductivè, necesse est, pertinere ad aliquam ex illis scientiis, aut cognitionibus, quas Sanctus Thomas Deo attribuit. Sed scientia conditionata de penitentiâ Tyriorum, & aliis, non potest reduci ex mente communis Magistri ad scientiam, sive cognitionem Dei practicam. Ergo necesse est reducenda ad scientiam, sive cognitionem speculativam. Primum antecedens, & consequentia probatione non indigent.

146. Minor verò subsumpta probatur. Quia scientia, sive cognitio practica in Deo, ut expressè docet Angelicus, solum est de rebus, quæ vel præsentibus sunt in suâ propriâ naturâ, vel fuerunt, vel futuræ sunt. Sed penitentia conditionata Tyriorum, & alia hujusmodi objecta conditionata nec actu sunt præsentia in propriâ naturâ, nec fuerunt, nec futura sunt. Ergo scientia conditionata de hujusmodi objectis non potest reduci ad scientiam, sive cognitionem practicam Dei. Rursus ex verbis S. Doctoris supra: Cognitio Dei practica dicitur illa, sive in supremo artifice, sive in creato, quæ est de rebus præcognitis, quas facere disponit, sive per intentionem applicat ad opus, ut habeant esse proprium extra mentem artificis. Sed scientia conditionata Dei nec disponit,

ponit, nec unquam disposuit, aut disponet facere poenitentiam Tyriorum, traditionem Davidis, & plura alia objecta conditionata. Ergo talis scientia conditionata non potest reduci ad scientiam, sive cognitionem practicam Dei. Tum sic. Sed scientia & cognitio speculativa Dei est omnino independens a quocumque decreto actu terminative existenti ex parte Dei. Ergo talis scientia conditionata de poenitentia Tyriorum, &c. est independens ab omni decreto, & illo anterior. Minor probatur ex doctrina Divi Thomae ubi supra. Quia scientia & cognitio speculativa Dei est de iis, quae nec sunt, nec fuerunt, nec futura sunt. Sed nullum decretum actu terminative, & subjective ex parte Dei est necessarium ad hoc, quod res non sint, nec fuerint, nec futurae sint. Ergo scientia conditionata est independens ab omni decreto, & anterior illo: Relinquitur ergo, inter abusus scientiae ordinatae, & mediae illud esse praecipuum; videlicet huiusmodi scientiam conditionatorum fundari in tali decreto actu terminative ex parte Dei. Quod ex dictis in r. 2. conclusionem imperceptibile est: cum omne decretum actu terminative ex parte Dei debeat aliquam physicam mutationem ex parte objecti causare: quod quidem in Tyriorum poenitentia, & in aliis pure conditionatis minime contingit.

Respondet 147. Respondet Magister Gonet disp. 5. de scientia conditionatorum, art. 2. §. 6. numer. 50. in solutione ad argumentum Acutissimi P. Vasquez, non omne decretum divinae voluntatis inferre & causare aliquam, & realem mutationem in creatura: Primò, quia Suarez, Granada, Arrubal, & alii ex nostris Doctoribus illud principium P. Vasquez de mutatione physica, ut omnino inefficax rejiciunt: nec immerito: cum etiam inter defensores scientiae mediae sit falsum: cum isti praecipue defendant, quod Deus decrevit concurrere cum voluntate creaturae ad actus liberos concurrenti generali indifferenti, si ipsa videlicet influere; & tamen hoc decretum nullam in ea ponit mutationem realem, & physicam. Ex qua doctrina infert Gonet, quod quamvis decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, quae in Deo ponit Schola Thomistica, & à quibus certam futurorum conditionatorum veritatem & notitiam, vult derivari, nullam inferant realem, & physicam mutationem in creatura defectu conditionis, quae nunquam purificabitur: Inde tamen non licere inferre, ea esse impossibilia: Secundò non semper requiri in objecto realem mutationem, ut terminet liberum decretum; sed sufficere moralem; ut constat, si ab aeterno voluisset Deus dispensare cum aliquo in voti obligatione tunc enim decretum illud solum induceret in objecto mutationem moralem. Quod quidem ipse firmat decreto pure remissivo culpa, quam remitti posse absque physica

peccatoris mutatione multorum sententia est. Idemque esse dicendum, ait, in proposito: nimirum non esse necessarium, quod decreta conditionata, quae in Deo admittit Schola Thomistica, inferant mutationem realem, & physicam in creatura: sed sufficere quod causent in objecto mutationem extrinsecam, & objectivam, illud transferendo de statu possibilitatis ad statum futurationis conditionatae, & illud ordinando ad existentiam habendam sub conditione. Tertio. Ex doctrina Magistri Alvarez lib. 1. Responsum cap. 4. num. 10. asserentis, quod quando decretum est absolutum, debet inducere in creatura realem, & physicam mutationem absolutam; quando autem est, conditionatum non debet inducere realem mutationem absolute; sed solum sub conditione, idest sufficere, quod ex vi illius decreti realiter mutetur creatura, si conditio impleretur: & haec mutatio conditionata est sufficiens, ut divina voluntas aliter comparetur ad creaturas post illud decretum, quam ante. Unde in tali mutatione conditionata fundatur respectus rationis quem intellectus noster concipit advenire Deo ratione talis decreti. Ex quibus Recentiores Thomistae colligunt poenitentiam conditionatam Tyriorum reduci non ad scientiam & conditionem Dei pure speculativam; sed ad scientiam & cognitionem practicam sub conditione ex eo, quod tale decretum licet actu terminative ex parte Dei practice se habeat respectu sui objecti non absolute, sed conditionate.

148. Verum hanc Gonetii solutionem in prima conclusione multis preoccupavimus: libet tamen unum vel alterum subjicere, ut constet, quantum se implicent Thomistae ut scientiam conditionatam in iis decretis fundatam tueantur. Primò confugit Gonetus ut se expediat ab argumento Patris Vasquez de physica mutatione, ad nostros Doctores supra citatos, qui mutationem illam physicam in divina voluntatis objecto ut omnino necessariam non probant. Sed quidquid sit de hoc modo opinandi, censeo ex principiis Magistri Angelici, in quolibet decreto libero terminative ex parte Dei debere ex parte objecti mutationem physicam induci. Rem ostendo ex dictis opusc. de Gratia & remis. culpa. Primò ex D. Thom. de Verit. q. 23. de Volunt. ar. 4. ad 13. dicente. *Secundum hoc enim dicitur aliquis esse sciens, quod res scit dicitur esse in sciente..... Cum vero dicitur Deum velle aliquid: non significatur, illud aliquid inesse Deo; sed tantummodo importatur ordo ipsius Dei ad illius effectum in propria natura.* Tunc sic. Sed per decretum actus terminative & absolute ex parte Dei circa poenitentiam Tyriorum, & alia pure conditionata, non importatur ordo ipsius Dei ad effectum poenitentiae Tyriorum in propria natura. Ergo tale decretum, & velle Dei circa objecta pure conditionata,

Contra illum infurgo ex S. Th. q. 33. de volunt. ar. 4. ad 13. probante omne decretum Dei inducere mutationem ex parte objecti.

tionata, est implicatorium, & imperceptibile ex mente Sancti Thomæ, sine mutatione physica ex parte objecti. Minor conceditur ab Adversariis. Consequentia patet. Quia effectio objecti in propria natura non est mutatio solum moralis; sed verè, & propriè physica. Secundò. Quia, ut ait S. Thomas, Deus non fertur extra se, ut sciat; quia res scita debet esse in sciente intentionaliter, & objectivè: At ut aliquid creatum velit objectum, extrà se fertur; ex communi Philosophorum axiomate asserentium, voluntatem in objectum volitum ferri; intellectum autem ad se trahere objectum, &c. Sed quidquid est extrà Deum, necesse est, habeat esse reale, & physicum. Ergo imperceptibile est, velle Dei terminativè ut causa voliti alicujus creati, quin tale volitum habeat esse physicum contingens, & mutabile.

Rursus ex S. Thomæ 1. contra gentes, cap. 79. n. 2. evidenter militans contra Gonet.

149. Tertio ex efficaci ratione ipsius Magistri Angelici lib. 1. contra gentes, cap. 79. num. 2. ibi: *Voluntas dicitur ad voluta, sicut creatura, & creator; non autem potest dici Deus esse creator, vel Dominus, vel Pater, nisi eorum, que sunt: Ergo non potest dici velle nisi ea, que sunt.* Tunc sic. Sed Deus non est, nec dicitur creator, aut Dominus respectu objecti conditionati, cujus est nunquam conditio ponenda. Ergo nec dicitur velle objectum purè conditionatum. Minor probatur primò. Quia aliter possemus dicere, Deum esse actu Dominum respectu alterius mundi sub conditione futuri, qui ex defectu conditionis nec fuit, nec est, nec unquam exiturus erit. Secundò. Posset dici actu creans ex parte sui terminativè absolute alterum mundum conditionatè futurum. Tertio. Posset aliquis dici actu dives ex parte sui respectu alicujus thesauri conditionatè futuri, qui ex defectu conditionis nunquam purificandæ nec est, nec fuit, nec unquam erit: Quis autem non contemnat hujus mundi divitias purè solum conditionatas, quarum esse solum objectivum conjungitur hic, & nunc cum summa, & absolutâ paupertate hujusmodi divitiis actu ex parte sui, & ex parte divitiarum solum conditionati? Quis momenti pendat dominium aliquod actu ex parte sui, alicujus regni purè conditionati; cujus nunquam obtinebit imperium, ex conditione nunquam purificanda? Si ergo sibilo, & risu excipimus hujusmodi Reges, & divites purè conditionatos ex parte objecti, certè tribuere dominium Deo actu terminativè, & absolute ex parte sui de mundo, & aliis rebus purè conditionatis, & in propria natura nunquam exituris; otiosum planè, ne dicam ridiculum, censerì debet.

150. Quarto. Quia quæcumque creatio, aut operatio Dei circa terminum ad extrà, debet esse libera, & per electionem Dei: Cum certum sit, Deum nec operari, nec posse operari ad extrà necessitate nature, juxta illud: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Sed implicat operatio, & creatio libera ad extrà actu terminativè, & absolute existens ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, & termini purè conditionati, qui nec est, nec fuit, nec in sua propria natura est unquam absolute futurus. Ergo implicat volitio actu libera terminativè, & absolute ex parte Dei respectu voliti, sive termini purè conditionati, & nunquam exituri in propria natura. Patet consequentia. Quia velle liberum Dei est ipsum Dei agere ad extrà. Si ergo implicat actio ad extrà absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte termini purè conditionati futuri; sed qui nunquam existit; censereturque talis operatio ex parte Dei otiosa, eadem ratione debet censerì talis volitio, sive decretum ex parte Dei absolutum, otiosum, & imperceptibile. Quamvis enim relatio voluntatis Dei ad volitum, non petat, quod pro omni tempore objectum existat in propria natura; petit tamen, quod tale objectum pro aliquo tempore existat. At enim S. Thomas loco citato, ibi: *Voluntatis igitur divina relatio est ad rem non existentem, secundum quod est in propria natura secundum aliquod tempus; & non solum secundum quod est in Deo cognoscente: Vult enim Deus, rem, que non est nunc, esse secundum aliquod tempus; & non solum vult, secundum quod ipse eam intelligit.* Ex quibus.

150. Quarto. Quia quæcumque creatio, aut operatio Dei circa terminum ad extrà, debet esse libera, & per electionem Dei: Cum certum sit, Deum nec operari, nec posse operari ad extrà necessitate nature, juxta illud: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Sed implicat operatio, & creatio libera ad extrà actu terminativè, & absolute existens ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, & termini purè conditionati, qui nec est, nec fuit, nec in sua propria natura est unquam absolute futurus. Ergo implicat volitio actu libera terminativè, & absolute ex parte Dei respectu voliti, sive termini purè conditionati, & nunquam exituri in propria natura. Patet consequentia. Quia velle liberum Dei est ipsum Dei agere ad extrà. Si ergo implicat actio ad extrà absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte termini purè conditionati futuri; sed qui nunquam existit; censereturque talis operatio ex parte Dei otiosa, eadem ratione debet censerì talis volitio, sive decretum ex parte Dei absolutum, otiosum, & imperceptibile. Quamvis enim relatio voluntatis Dei ad volitum, non petat, quod pro omni tempore objectum existat in propria natura; petit tamen, quod tale objectum pro aliquo tempore existat. At enim S. Thomas loco citato, ibi: *Voluntatis igitur divina relatio est ad rem non existentem, secundum quod est in propria natura secundum aliquod tempus; & non solum secundum quod est in Deo cognoscente: Vult enim Deus, rem, que non est nunc, esse secundum aliquod tempus; & non solum vult, secundum quod ipse eam intelligit.* Ex quibus.

151. Quintò arguitur contra solutionem Magistri Gonet. Voluntas libera Dei non potest referri ad volitum, secundum quod volitum solum est objectivè in cognoscente; sed ad volitum, secundum quod istud existit secundum aliquod tempus, ut quod hoc expresse docet Angelicus. Sed penitentia purè conditionata Tyrriorum, & quodlibet aliud objectum purè conditionatum (ut farentur Recentiores Thomistæ cum Gonet.) solum habent esse objectivum conditionatum; ita, ut nunquam extitura sint in propria natura. Ergo ex mente Divi Thomæ implicat, voluntatem, aut decretum liberum Dei referri; aut terminari ad hujusmodi objecta purè conditionata.

152. Sextò. Penitentia purè conditionata Tyrriorum vel est existens in propria natura physica purè conditionatè, vel est absolute impossibilis, vel absolute possibilis? Non primum: Quia res purè existens, conditionatas habere existentiam realem, & physicam adhuc conditionatam, est

Præterea implicat Dei operatio libera ad extrà absolute, ex parte Dei; & purè conditionata ex parte objecti.

Voluntas libera Dei non potest referri ad volitum, secundum quod istud existit secundum aliquod tempus, ut quod hoc expresse docet Angelicus. Sed penitentia purè conditionata Tyrriorum, & quodlibet aliud objectum purè conditionatum (ut farentur Recentiores Thomistæ cum Gonet.) solum habent esse objectivum conditionatum; ita, ut nunquam extitura sint in propria natura. Ergo ex mente Divi Thomæ implicat, voluntatem, aut decretum liberum Dei referri; aut terminari ad hujusmodi objecta purè conditionata.

pure conditionata purè conditionatè, vel absolute impossibilis, vel absolute possibilis? Non primum: Quia res purè existens, conditionatas habere existentiam realem, & physicam adhuc conditionatam, est

campet et Ripalda

possibile; chymæricum, & imperceptibile: Cum certum sit, non dari actiones physicas purè conditionatas in propriâ naturâ. Non item secundum. Tum quia pœnitentia illa purè conditionata Tyrriorum nullam secum implicationem involuit. Tum quia decretum actu liberum Dei adhuc in sententia Thomistarum non versatur circâ impossibilia. Ergo solum verificatur tertium: Videlicet quod pœnitentia Tyrriorum sit absolute possibilis. Tunc sic. Sed objectum purè possibile pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ anterior est, & independens ab omni decreto. Ergo scientia conditionata, quæ Deus prænovit pœnitentiam purè conditionatam Tyrriorum, & alia hujusmodi objecta purè conditionata, solum pertinet saltem reductivè ad scientiam simplicis intelligentiæ. Ergo talis scientia conditionata nec est libera conditionatè, nec fundatur in decreto libero; sed est ab illo omninò independens.

153. Septimò. Quia scientia conditionata, quam Deus habet de illa purè conditionatâ pœnitentiâ Tyrriorum, sicut & de aliis objectis purè conditionatis, adhuc juxta mentem Thomistarum, est de objectis, quæ ex nunquam purificandâ eorum conditione, nec sunt, nec fuerunt, nec ullo unquam tempore sunt absolute futura. Sed scientia, quam Deus habet de objectis, quæ nec fuerunt, nec absolute sunt, nec sunt absolute futura, est simplicis intelligentiæ, quæ anterior, & omninò independens est ab omni decreto actu terminativè libero Dei. Ergo. Major supponitur ex Thomistarum principis. Minor est expressa Divi Thomæ 1. part. quæst. 14. artic. 9. quem refert Gonet disputat. 3. de causalitate scientiæ Dei, artic. 2. §. 2. n. 22. ibi: *Quadam licet non sint nunc actu; tamen vel fuerunt, vel erunt; & omnia dicitur Deus scire scientiâ visionis quadam verò sunt, quæ sunt in potentiâ Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis; sed simplicis intelligentiæ.* Nunc sic efficaciter arguitur. Pœnitentia purè conditionata Tyrriorum, & alia, quæ asseruntur, objecta scientiæ conditionatæ, nec actu sunt in propriâ naturâ, nec fuerunt, nec erunt. Sed hujusmodi objecta cognoscit Deus solum scientiâ simplicis intelligentiæ; ut tenet Angelicus. Ergo pœnitentia purè conditionata Tyrriorum, & alia hujusmodi objecta conditionata solum sunt objecta scientiæ simplicis intelligentiæ. Ergo scientia conditionata Dei, quæ circâ hujusmodi objecta versatur, solum potest saltem reductivè pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ. Hæc autem est ante-

Theol.

rior omni decreto, & ab illo omninò independens. Ergo talis scientia in illo Thomistico fundata decreto, potius est abusus divini scientiæ, quàm rectus, & Theologicus ejusdem usus.

154. Octavò. Quia imperceptibile est etiam, quod decretum actu terminativè ex parte Dei, omni reali, & physica mutatione lectusâ, solum causet in suo objecto objectivam, & extrinsecam mutationem, illud transferendo ab statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ; ut contendit Gonet solutio. Ergo. Probatur antecedens primò. Quia decretum liberum Dei cum totam suam mutationem habeat ad extrâ, non habet ex suo munere res efficere in esse objectivo, & intentionali: Quamvis enim intelligat, divina decreta libera solum ponere rem objectivè in mente divinâ; etenim vel Deus independenter à tali decreto conditionato habet ideam illius objecti conditionati, quod objectivè, & extrinsecè causat illud decretum, vel non? Si hoc ultimum: Ergo decretum illud liberum actu terminativè ponit aliquam ideam, & medium cognoscendi in Deo, quod ante non habebat. Patet consequentia. Quia in D. Thomæ sententiâ Deus in se ipso tamquam in medio, & ideâ rei cognitæ, cognoscit talem rem. Ergo si ante tale decretum non erat in Deo medium, aut ideâ cognoscendi pœnitentiam illam conditionatam Tyrriorum necesse erit, quod per tale decretum ponatur talis ideâ in Deo: Ac proinde sicut asseritur, per tale decretum mutari extrinsecè, & objectivè pœnitentiam conditionatam, consequenter debet dici, per illudmet mutari extrinsecè, & objectivè ideam, & medium cognoscendi in Deo. Si verò dicatur primum: Ergo ante decretum prænovit Deus illud objectum, quod inutiliter asseritur per decretum. Patet consequentia. Quia cognito medio, aut ideâ alicujus objecti, non potest non cognosci tale objectum. Sed ante decretum cognoscit Deus ideam illam de Tyrriorum conversione conditionatâ; & sic de aliis. Ergo ante decretum cognoscit Deus conversionem illam conditionatam. Ergo ante decretum conversio illa habuit illud esse objectivum, quod absque ullo fundamento asseritur extrinsecè causari per decretum.

155. Probatur secundò illud antecedens. Quia implicat decretum absolutum tam ex parte actus, quàm ex parte objecti, quin per tale decretum determinetur divina omnipotentia ad producendum pro aliquâ temporis differentiâ tale objectum in propriâ naturâ. Ergo implicat decretum actu terminativè, & subjectivè ex parte Dei, causari objectivè, & extrinsecè aliquod objectum

M

Imperceptibile est Thomistici decreti solâ causare in objecto objectivâ & extrinsecâ mutationem.

Ejusdem implicatio decreti, & objectivæ tantum mutationis probatur ex Psal. 134.

etum purè conditionatum, quin per tale decretum saltem ex parte Dei determinetur omnipotentia ad illud objectum conditionatè ponendum. Antecedens constat. Consequentia verò probatur. Quia ex Psalmo 134. *Omnia quaecumque voluit, fecit Dominus*; utique absolutè. Ergo si voluit conditionatè, omnia quaecumque liberè voluit conditionatè fecit. Sed omnia, quaecumque voluit voluntate, & decreto absoluto tam ex parte actus, quam ex parte termini, fecit Dominus actione physica, & absolutà tam ex parte Dei, quam ex parte termini. Ergo omnia, quaecumque voluit voluntate, & decreto actu, & terminativè, & absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, fecit Dominus actione physica absolutà ex parte Dei, & conditionatà ex parte termini. Subsumo nunc. Atqui juxta Divum Thomam, & omnes Scholasticos est planè imperceptibilis aliquis influxus divinæ omnipotentiae, sive aliqua illius actio physica circa effectum purè conditionatum, & nunquam extitutum ex defectu conditionis nunquam ponendae. Ergo propter eandem rationem planè implicatorius, & imperceptibilis erit actus liber Dei actu terminativè ad extrà circa objectum, & terminum purè conditionatum.

Ex D. Thomæ 2. cōtra gētes cap. 23. n. 2. Deus non operatur ex necessitate naturæ; sed liberè: implicat autem, omnipotentiam ferri ad extrà in terminū purè conditionatū.

156. Nonò. Quia ex Divo Thomā, & Scholæ Thomisticæ principiis omnipotentia Dei cum nec operetur, nec operari possit ad extrà necessitate naturæ, aut consistit in ipsà volitione liberà, & scientiā Dei, aut saltem eas necessariò includit. Sed implicat, omnipotentiam Dei ferri extrà se in effectum, aut terminum purè conditionatum actione actu terminativè absolutà ex parte omnipotentiae, & conditionatà ex parte sui termini. Ergo implicat, voluntatem divinam ferri in volitum extrà se volitione, aut decreto actu terminativè, & subjectivè absoluto ex parte sui, & conditionato ex parte termini, aut voliti. Major constat ex Divo Thomā in pluribus suæ Theologiæ locis, præcipuè 2. contra gentes, cap. 23. num. 2. in fine, ibi: *Quicumque autem eorum, quæ potest facere, quadam facit, & quadam non facit, agit per electionem voluntatis, & non per necessitatem naturæ: Deus igitur non agit per necessitatem naturæ.* Et 1. contra gentes, cap. 72. num. 7. id ipsum probat, ibi: *Præterea: Liberum est, quod sui causa est; & sic liberum habet rationem ejus, quod est per se: voluntas enim primò habet libertatem in agendo (in quantum autem voluntariè agit quis, dicitur liberè agere quamcumque actionem) primo igitur agenti maxime competit per voluntatem agere, cui maxime competit per se agere.* Minor etiam patet. Tum quia nullus haftenus probavit actionem aliquam omnipotentiae physicam actu terminativè & parte ipsius,

& conditionatam ex parte termini: Tum quia aliter possemus dicere, Deum suā omnipotentiam actu fecisse plures, imò infinitas res, & mundos, non absolutè; sed conditionatè ex parte eorum: Quod est planè ridiculum. Consequentia verò legitime inferitur: Ex quâ,

157. Fit primò quod sicut nullum objectum, aut terminus potest transire per divinam omnipotentiam ad statum illum conditionatum, in quo talis terminus extrinsecè, & objectivè solum causetur per actionem omnipotentiae; sic est implicatorium, quod sit aliquod objectum, aut terminus ab statu puræ possibilitatis per voluntatem liberam Dei ad statum purè conditionatum, in quo talis terminus solum habeat esse extrinsecum, & objectum per volitionem liberam Dei actu subjectivè, & terminativè ex parte sui. Fit secundò ratione supra ductà de omnipotentia Dei, otiosum videri, & planè ridiculum, quod Deus voluerit actu ferri, & libero ex parte sui infinitas res, infinitosque mundos sub conditione extituros. Ratio est. Quia inde sequitur, Deum voluisse liberè infinitas res sub conditione, quas noluit esse absolutè: Sic autem perinde esset, Deum ferri nolle res absolutè existentes in propria naturâ, ac eas velle ferri ex parte sui conditionatè existere in propria naturâ: quæ cogitatio in omni Scholâ videretur extranea.

158. Decimò. Quia nec alicujus est menti solutio, quam ex Magistro Alvarez approbat Gonetius; videlicet non requiri mutationem realem, & physicam absolutam ex parte objecti conditionati, etiam si ex parte Dei actu subjectivè sit decretum liberum absolutum; sed sufficere mutationem realem conditionatam; quæ consistit in eo, quod ex vi talis decreti mutaretur creatura, si conditio impleretur: Quæ mutatio conditionata sufficit, ut ad creaturas Deus aliter compareretur. Hoc inquam nullius est fundamenti. Ergo si ex parte Dei est absolutum decretum liberum subjectivè, debet ex parte objecti esse absoluta mutatio realis extrinseca. Probatur assumptum primò. Quia mutatio illa extrinseca, & realis conditionata objecti voliti, cum non sit purè nihil, debet habere aliquod esse. Vel ergo hoc esse est solum purè objectivum, & intentionale, vel physicum reale, & in propria naturâ? Si primum: redeunt argumenta supra facta. Si secundum: Ergo objecta purè conditionata, & nunquam extitura, habent aliquid esse physicum, & reale verum, licet conditionatum: Ac proinde sicut objecta absolutè futura, existunt pro sui differentia temporis per veram actionem physicam ablo-

Implicat translatio termini per divinū decretū ab statu puræ possibilitatis ad fruitionis purè conditionatæ.

Impugno Gonetii solutionē ex M. Alvarez desumptam.

absolutam, suntque effectus divinæ omnipotentiz: sic objecta purè conditionata existunt pro aliquâ differentiâ temporis per veram & realem actionem physicam conditionatam, eorumque effectus Omnipotentiz divinæ; quod etiam satis est impugnatum supra, nec audent Thomistæ concedere. Ergo dicere, objecta illa conditionata mutari extrinsecè mutatione reali conditionatâ, præter verborum sonum, nihil præstat ad argumenti solidam solutionem.

Ad mutatione ob-
jecti sub
nunquam
adimplem
dâ condi
tione futu
ram, pror
sus otio
sum est di
vinû illud
Thomista
rum de
creum.

159. Secundò. Quia explicatio hujus mutationis realis extrinsecæ & conditionatæ (ut docent Gonet, & Alvarez) consistit in eo, quod objectum volitum vi talis decreti esset, & mutaretur in propriâ naturâ, si conditio adimpleretur. Sed si mittamus verborum officias, ad hoc non requiritur decretum ex parte Dei absolutum actu, & subjective. Ergo scientia Dei circa hujusmodi objecta purè conditionata, est omninò independens à tali decreto, ac proinde non posterior, sed anterior omni decreto libero terminativè ex parte Dei. Major constat, Minor verò suadet. Quia veritas conditionata, v. g. de penitentiâ Tyriorum sub illâ virtutum & miraculorum Christi conditione, ab istâ dependet, sicut ab ipso decreto, aut divinâ voluntate. Sed scientia conditionata, quam Deus habet de illâ Tyriorum penitentiâ, & aliis similibus, non petit, quod virtutes & signa existant actu; sed sufficit ea esse possibile; & quod Deus cognoscat, quod si absolute & in propriâ naturâ ponerentur, penitentiâ quoque illa absolute existeret. Ergo talis scientia non petit, quod decretum aliquod absolutum liberum actu terminativè existat ex parte Dei; sed planè sufficit, quod Deus cognoscendo scientiâ necessariâ plenissimum suæ voluntatis dominium, cognoscat, quod si ponatur aut poneretur actu ex parte Dei decretum actu terminativè absolutum de penitentiâ Tyriorum, hæc absolute existeret. Ergo sicut ad hujusmodi scientiâ conditionatâ nõ petitur, quod illa virtutû & miraculorû conditio, actu terminativè existat; sed sufficit prænoscere possibilitatem talis virtutû, quæ per voces aptè explicatur; *si tales virtutes, & signa forent*: sic ex parte voluntatis divinæ nihil aliud requiritur, nisi scientiâ necessariâ cognoscere possibilitatem sui decreti absoluti, quod à nostris Doctoribus sæpè sapius declaratur per decretum *quod foret*. Ergo de primo ad ultimum scientia conditionata, si ve media, quam necesse est tribuamus Deo de veritatibus purè conditionatis reductivè pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, utpotè ab omni decreto terminativè ex parte Dei independens, eoque anterior.

2. Conclu
sionis ra
tio defu
mitur à

160. Secunda ratio pro conclusione nostrâ sic potest efficaciter efformari. Deus prænovit cognitione speculativâ indepen-

Theol.

denti ab omni decreto actu ex parte Dei terminativè totam hujus mundi machinam possibilem, & seriem omnium rerum secundum circumstantias, hypotheses, & occasiones; ita ut non solum causas necessarias, & liberas cognoverit possibile; sed etiam omnes earum effectus, si ve actus tam liberos, quam necessarios. Sed per hujusmodi cognitionem speculativam, quâ Deus comprehendit non solum causas liberas: sed etiam earum actus liberos possibile in quâcumque circumstantiâ, & sub quocumque ordine, & serie rerum, optime salvatur, & rectè explicatur scientia conditionata, & media, de quâ est controversia. Ergo scientia conditionata, & media non alio modo potest defendi in Deo, quam ipsam constituendo ante omne decretum absolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Major constat ex his quæ notata & probata sunt ante hujus conclusionis probationem, præter illa, quæ in superioribus hujus controversiæ Præluudiis latè expendimus. Minor verò probatur. Deus per hujusmodi cognitionem speculativam prænovit in suâ divinâ essentiâ ut infinite imitabili, si ve (quod idem est) in suis rationibus & idæis omnium intelligibilium, & factibilium expressivis, non solum causas liberas ut ad utrumlibet indifferentes ex quidditate, & naturâ sui liberi arbitrii; sed etiam omnes ejus actus liberos & contingentes possibile ad existendum in propriâ naturâ in quâcumque circumstantiâ, occasione, hypothesi, aut rerum serie possibili. Sed in hujusmodi cognitione, aut scientiâ Dei speculativâ salvatur, & constituitur infallibilis, & certissima scientia conditionata, aut media, quam Deus præhabet de penitentiâ illâ Tyriorum, de traditione Davidis, & de aliis objectis sub conditione futuris. Ergo. Major constat. Quia, ut probatum est supra, & communis omnium Theologorum sententia tenet, Deus scientiâ visionis cognoscit certissimè totam hujus mundi seriem, non solum secundum causas necessarias, & liberas existentes, & absolute futuras; sed etiam secundum actus contingentes, & liberos in quâcumque occasione, & circumstantiâ absolute futuros. Sed omne id, quod est existens, aut absolute futurum, eò modo fuit possibile. Ergo Deus cognitione necessariâ, & speculativâ prænovit non solum causas liberas possibile, sed etiam earum actus liberos possibile in quâcumque hypothesi, & sub quâcumque rerum serie possibili: aliàs non diceretur Deus infinite sapiens.

161. Minor, in quâ est difficultas probatur primò. Quia Deus scientiâ visionis certissimè cognoscit in hæc rerum serie conversionem Magdalene potius quàm ejus carentiam, aut oppositum, similiter lachrymas, & conversionem D. Petri potius quàm perseverantiam in Domini negatione; pariter

M 2

impæ-

scientiâ
simplicis
intelligen
tiæ in quâ
salvatur
media.

impenitentiam Judæ, potius quam de suo peccato contritionem; & alia hujusmodi: Ergo hæc omnia possibilis prænovit independenter ab omni decreto absoluto ex parte Dei. Ergo in aliâ rerum serie, & sub aliis circumstantiis prænovit etiam impenitentiam Magdalene, Divi Petri, & conversionem Judæ, & penitentiam, sive conversionem possibilem Tyriorum, & alia objecta, quæ explicantur sub aliquâ conditione, & hypothese purè possibilibus, quas noluit Deus pro hæc rerum serie, & pro præsentis suæ providentiæ ordine existere, & unquam exituras. Patet hæc consequentia. Quia Deus non solum habet rationes, & idæas possibilem, quæ decrevit absolute creare & existere in suâ propria naturâ; sed aliarum rerum in infinitum usque possibilem, quas juxta hanc suam ordinariam providentiam noluit existere.

162. Tum sic. Sed Deus per hujusmodi cognitionem, aut scientiam necessariam, & speculativam, quâ independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei prænovit possibilem conversionem Magdalene in domo Pharisæi potius, quam oppositum, similiter conversionem Petri, impenitentiam Judæ, & alio hujusmodi; per eandem, inquam, scientiam prænovit omnes veritates conditionatas, aut sub conditione futuras, quæ de iis, & aliis objectis communiter formantur, & de pluribus aliis formari possunt, Ergo cum hujusmodi conditionatorum scientia ab omnibus dicatur conditionata, aut media, hæc necessariò erit constituenda in Deo independens ab omni decreto libero terminativè, illoque anterior, & per reductionem ad scientiam necessariam, & simplicis intelligentiæ. Minor subsumpta probatur. Ad quod fingamus casum possibilem; eum videlicet, quo Deus (sicut potuit) noluisse creare hunc mundum, nec ea, quæ sub hac rerum serie sunt; solumque, produxisset creaturam aliquam, sive Angelicam, sive humanam, quam elevarer ad sui visionem, eique aut in verbo, aut in suis rationibus, & idæis hunc mundum possibilem revelasset secundum omnes ejus circumstantias. In hoc igitur casu nulli potest esse dubium, quod si creatura illa Deum exoraret, ipsumque consuleret dicens: Domine si mundi fabricam, quam te posse creare contemplan, de facto tuo decreto absoluto terminativè produceres; & Magdalena in illâ convivii circumstantiâ intraret domum Pharisæi, converteretur? Si Christus post negationem sui Apostoli ipsum respiceret, Princeps Apostolorum ageret penitentiam & fletet? Judas post productionem ad osculum Divini Magistri, & præclara alia benevolentia signa, penitentiam egisset? Et alia hujusmodi. Certè in tali eventu nulli unquam dubium esse potest, quin Deus posset certissimè respondere ad omnia illa objecta conditionata

dicens; si fuisset mundus ex proposito meæ voluntatis creatus, aut crearetur Magdalena soluta in penitentia lachrymas, converteretur, meque ardentè diligeret; Petrus amarè fletet; Judas impenitens decederet; & sic de aliis. Cujus divinæ responsionis oraculum non aliâ ratione foret in tali eventu certissimum, nisi quia ea omnia cernit, cernetque in suâ divinâ scientiâ, aut idæis secundum esse objectivum, & intentionale. Nunc sublimo.

163. Atqui de facto cognitione, sive scientiâ necessariâ speculativâ videt in eodem divinæ essentia medio virtutes & signa, quæ possunt fieri in Tyro, & Sidone; penitentiam Tyriorum potius, quam eorum indurationem in illis circumstantiis: similiter mansionem possibilem Davidis in urbe Ceila, & possibilem ejusdem Davidis traditionem in manus Saülis; & sic de omnibus aliis objectis purè conditionatis. Ergo rogatus Dominus de iis sub conditione, quod ea voluisset decernere, posset certissimè respondere eo modo, quo ex sacra Pagina constat revelasse: videlicet: *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, in cilicio, & cinere penitentiam egissent*, Matth. II. *Si custodierint filii tui legem meam, sedebunt supra thronum tuum usque in sempiternum*. 3. Reg. 9. *Si transierint me viros Ceila, & viros qui mecum sunt, in manu Saul? & dicit Dominus, transierint*. 1. Reg. 23. Ergo scientia conditionata, quâ Deus certissimè prænovit hujusmodi veritates conditionatas, est independens ab omni decreto actu terminativè, & absoluto ex parte Dei, licet conditionato ex parte objecti, præceditque omnem determinationem liberam Dei terminativè circa talia objecta, non solum absolutam, sed etiam conditionatam ex parte eorum.

164. Firmatur ulterius prædictum ratiocinium. Sic se habet veritas absoluta futurorum contingentium respectu scientiæ Dei, sicut respectu ejusdem veritas conditionata futurorum sub conditione. Sed posito decreto absoluto de creatione hujus mundi, Deus scientiâ visionis prænovit in suâ divinâ essentiâ taliter conversionem Magdalene, penitentiam & amarum Petri fletum, impenitentiam Judæ, & duritiam cordis, aliosque actus liberos; ut requisitus, aut de illis consultus sub conditionibus, de quibus supra, si vellet, posset certissimè respondere: mulier peccatrix absolute converteretur, & Christi pedes suis lachrymis absolute rigabit, &c. Ergo à paritate rationis de omnibus illis possibilibus, quæ independenter ab omni decreto prænovit, posset Deus rogatus certissimè respondere: si poneretur meum decretum, & vi illius fierent in propria naturâ virtutes illæ in Tyro, & Sydone, penitentiam egissent: & sic de aliis purè conditionatis. Major patet. Minor etiam

Inde ad
intentionem
sublimo.

Firmo ra-
tionem à
paritate
futurorum
contingentium
sub abso-
luto.

etiam constat. Quia sicut ad illam interrogationem, de qua Evangelium: *Dominus, si in tempore isto restitues regnum Israel?* Respondit Dominus: *Non est vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate:* Poterat, si placuisset, revelare id ipsam, de quo consulebatur; sic posset certissime respondere circa ea objecta. Consequentia patet. Quia sicut se habet scientia visionis ad veritates absolutas, posito decreto absoluto tam ex parte actus, quam ex parte objecti; sic se habet scientia Dei, si poneretur decretum. Sed posito jam decreto absoluto, scientia Dei certissime cognoscit illas veritates absolutas. Ergo sub conditione illa, quod terminative poneretur ex parte Dei tale decretum, Deus prænocit veritates illas conditionatas. Ergo sufficit decretum omnino conditionatum tam ex parte Dei, quam ex parte objecti, ut Deus cognoscat libera, & contingentia sub conditione futura. Ergo scientia Dei conditionata, sive media sufficientissime fundatur in eâ cognitione speculativâ, quâ Deus in essentia sua, sive in ejus idæis, & rationibus speculativis, cognoscit non solum causas liberas possibiles; sed etiam earum actus possibiles in suis circumstantiis, & sub quâcumque serie, aut ordine possibili, simul cognoscendo, ea omnia esse posita in sui domini plenitudine, & potestate, de illisque posse ad suæ voluntatis nutum disponere.

Denique 165. Probatur denique Conclusio nostra. Quia per hanc dicendi modum, quem supra ex mente Sanctorum Augustini, Thomæ, & aliorum firmavimus, expeditur plures difficultates, quæ valde implicat alios discurrendi modos in materiâ; qualis est illa, in quo medio Deus cognoscat illa libera conditionata futura, & alia contingentia? Quid sint, aut in quo consistant hujusmodi objecta; an sint in Deo, an extra eum; an aliquid creaturæ imputabile? Et alia hujusmodi: Quibus ad agonem usque Scholasticum pluri fatigantur. Rem breviter ostendo primo. Quia medium certissime cognoscendi hujusmodi contingentia, & libera conditionate futura, est ipsa essentia divina ut imitabilis; vel rationes, sive idæe illæ speculative sumptæ, quæ clarissime explicant, representantque illa objecta libera, quæ à nobis explicantur ut conditionate futura. Do exemplum. Deus non cognoscit penitentiam Tyriorum in idæa, aut ratione, quæ præcisè representet Tyriorum liberam voluntatem, virtutesque illas, & alia intrinseca principia, quæ tamquam auxilia, & media possibiliter conferebantur sub illâ hypotheti ad operandum: Sed solum in eâ ratione, aut idæa, quæ representat penitentiam actua-

lem, sub illis mediis, ac virtutibus possibilem. Ratio primi est. Quia in primâ ratione, aut idæa solum representatur actus primus voluntatis Tyriorum cum omnibus illis virtutibus, & mediis ad operandum. Sed sic representata voluntas est ex sua naturâ, & quidditate æquè indifferens ad penitentiam, & non penitentiam Tyriorum. Ergo in tali ratione, aut idæa non potest cognosci à Deo determinata penitentia Tyriorum sub illis virtutibus, de quibus sacra eloquitur pagina. Ergo solum potest cognosci penitentia Tyriorum in tali ratione, aut idæa absolute possibilis possibilitate, & indifferentiâ causæ liberæ. Ergo in hujusmodi divinæ rationis medio non potest cognosci illa veritas in Evangelio revelata: Nimirum: *Quia si in Tyro, & Sydone, &c. Relinquitur ergo, quod Deus in illâ idæa, quæ solum representat voluntatem liberam Tyriorum ut indifferentem indifferentiâ domini sub illis virtutibus, & principiiis, non potest cognoscere nec determinatè penitentiam illam, nec non penitentiam determinatè possibilem possibilitate causæ liberæ indeterminatè, & indifferenter se habentis in esse intentionali, & representativo; hujusmodi autem scientiam pleno ore vocamus simplicis intelligentiæ absolute.*

166. Ratio secundi est. Quia Deus non solum habet idæas, & rationes, quæ representant causas liberas in actu primo ex naturâ suâ, & quidditate cum omnibus suis principiiis indifferentes ad utrumlibet; sed etiam quæ exprimunt, & representant earum actus liberos sub illis principiiis determinatè in omnibus circumstantiis, & in quâcumque serie possibili: Alias Deus non prænoceret omnes eventus, & operationes possibles omnium creaturarum liberarum, & contingentium: Quod infinitæ perfectioni scientiæ Dei maximè derogat: Tum quia si Deus non haberet idæas, & rationes actuum, & operationum liberi arbitrii in quâcumque circumstantiâ, & rerum serie, Deus non esset infinitus, & perfectissimus artifex; Tum quia scientia speculativa factibilium, quam Deo tribuunt Theologi omnes, non esset infinite comprehensiva: Cum ex defectu medi ad cognoscendos tales actus, & operationes liberas determinatè, ad hujusmodi veritates non pertingeret. Tum quia Deus de facto, posito decreto absoluto præficienti, per scientiam visionis cognoscit in hac circumstantiâ, & temporis differentiâ hunc actum liberum potius, quam ejus oppositum; in aliâ consentum potius, quam disensum; modo peccatum Antichristi potius, quam

Sed solè in idæa exprimate penitentiam illam sub illâ conditione futuram.

quàm ejus amorem, & obedientiam ergà Deum; & sic de aliis; quæ absque ullâ controversiâ ab omnibus Theologis admitti, necesse est. Tunc sic. Atqui omnia; quæ Deus per scientiam visionis, posito perfinenti decreto, videt certò, & absolute futura respectu nostri, vidit independenter ab omni decreto ut certò determinatè possibilis. Ergo Deus independenter ab omni decreto, vidit in hac circumstantiâ possibili consensum determinatè possibilem potius, quàm dissensum; conversionem Magdalenæ determinatè possibilem in occasione Evangelii potius, quàm ejus impœnitentiam, &c. Patet ergo ex necessariâ, & infinitâ perfectione suæ scientiæ competere Deo rationes, sive idæas, in quibus prænoscat omnes actus, & operationes liberas determinatè possibles non solum possibilitate causæ; sed possibilitate ipsorum actuum, in quibus modò cognoscat consensum determinatè possibilem potius, quàm dissensum: Et in aliâ circumstantiâ econtrâ dissensum determinatè possibilem potius, quàm consensum; & sic de aliis. Unde hujusmodi scientiam, quâ Deus prænoscat independenter ab omni decreto in suis rationibus, aut idæis pœnitentiam v. g. Tyrionum determinatè possibilem sub illis virtutibus potius, quàm eorum impœnitentiam; & sic de aliis; dicimus scientiam conditionatam, & mediam simplicis intelligentiæ, aut saltem reductivè ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Alia ratione assumptum idem stabilio.

167. Ostendo secundò. Quia ea scientia, quâ Deus certò cognoscit veritates illas conditionatas actuum liberorum, & contingentium, dicitur conditionata, & media; ut constat ex dictis. Sed Deus in medio illo, quo certissimè attingit potius pœnitentiam Tyrionum determinatè possibilem, quàm ejus oppositum; certò cognoscit veritatem illam de pœnitentiâ revelatam in Evangelio. Ergo. Probatur minor. Quia res certò præcognita in aliquo medio, certissimè potest affirmari eo modo, quo in tali medio cognoscitur, & representatur. Sed in medio jam explicato Deus certò præcognoscit pœnitentiam Tyrionum sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis determinatè possibilem potius, quàm ejus impœnitentiam; aliundeque necessariò cognoscit Deus sui domini potestatem; quâ, si vellet, posset absolute determinare illas virtutes, & circumstantias prædicationis Christi Domini. Ergo Deus cognoscendo independenter ab omni decreto actu terminativè, hæc omnia potuit certissimè revelare, & affirmare, quod nimirum *Si in Tyro, & Sidone facta, &c.* Ut quid ergo Scholis intruditur decretum liberum Dei actu terminativè

tamquam causa pœnitentiæ conditionatæ Tyrionum; præsertim cum hujusmodi decreta repugnent Divi Thomæ principiis, ut constat ex dictis?

168. Ostendo tertio. Quia si perquiratur de existentia, & esse talium objectorum contingentium conditionatè futurorum; res juxta præjacta principia est facilis. Licet enim objecta illa conditionata non habeant esse proprium, & physicum in propriâ naturâ; habent tamen esse intentionale in essentiâ divinâ, sive in rationibus, & idæis, in quibus cognoscuntur. Sicut enim ad comparandam notitiam de Petro, non est necessarium, eum præcisè videre immediatè in se ipso, & secundum propriam naturam; sed sufficit, eum videre in specie sui speculo impressâ, eò quòd in illâ habeat esse intentionale: Sic ut Deus certissimè cognoscat pœnitentiam Tyrionum conditionatam, sufficit, quòd hæc habeat esse intentionale, & objectivum in essentiâ divinâ, vel in idæâ, quæ talem pœnitentiam representat sub illis virtutibus, & comprincipiis, de quibus supra. Ratio est primò. Quia nullum objectum potest intelligi ab aliquâ potentia, nisi tale objectum sit in actu, habeatque esse sive proprium suæ naturæ, sive intentionale, & objectivum in aliquo medio, quòd sit illius expressa similitudo; ut patet de visione Petri vel in se ipso naturaliter existentis, vel in specie, aut imagine sui in speculo. Atqui scientia divina cum non causetur ab objectis creatis, non potest ea in se ipsis cognoscere. Ergo solum potest ea cognoscere in medio suæ essentiæ. Ergo necesse est, talia objecta habere esse intentionale in essentiâ divinâ tamquam in specie, aut imagine substantiali omnium rerum expressivâ.

169. Ratio est secundò. Quia non requiritur existere in proprio esse domum v. g. extrâ mentem artificis; sed sufficit, si existat, in idæâ, quàm in mente format. Cum ergo Deus sit perfectissimus, & infinitus artifex, necesse est, ut omnia, quæcumque potest disponere, & extrâ producere, habeant esse in mente divinâ: Unde ut aditus præcludatur innumeris æquivocationibus; cum loquimur de objectis divinæ scientiæ necessariæ, sive sint absolute, sive sint conditionata, sive quocumque modo dicantur, & fermentur à nobis: Duo oportet advertere; scilicet & ea objecta, quæ cognoscuntur, & esse talium objectorum: Objecta quæ intelliguntur, sunt ipsæ res secundum suam essentiam, & quidditatem: v. g. In medio divinæ essentiæ, cognoscit, quòd homo sit animal rationale, Angelus substantia spiritualis, liberum arbitrium sive humanum,

Si de essentia contingentium conditionatè futurorum perquiratur juxta dicta est facilis.

In Deo upore perfectissimo artifice, habet esse idæas, le omnia, quæcumque potest disponere, & extrâ producere, habeant esse in mente divinâ: Unde ut aditus præcludatur innumeris æquivocationibus; cum loquimur de objectis divinæ scientiæ necessariæ, sive sint absolute, sive sint conditionata, sive quocumque modo dicantur, & fermentur à nobis: Duo oportet advertere; scilicet & ea objecta, quæ cognoscuntur, & esse talium objectorum: Objecta quæ intelliguntur, sunt ipsæ res secundum suam essentiam, & quidditatem: v. g. In medio divinæ essentiæ, cognoscit, quòd homo sit animal rationale, Angelus substantia spiritualis, liberum arbitrium sive humanum,

num, sive Angelicum, quod sit indifferens indifferentiâ dominii ad operandum ex quidditate suæ essentiæ: Similiter cognoscit in tali occasione conversionem Tyriorum; in aliâ eorum inveniendam: Quæ omnia cum à suâ voluntate dependeant, ut sint in propriâ naturâ reali, & physicâ, ea omnia videt possibile in potestate, & plenitudine sui absoluti dominii. Jam verò si loquamur de esse intentionali talium objectorum; hoc esse est ipsa divina essentia, quæ cum sit omnium rerum expressâ similitudo; hoc esse similitudinis, quod communiter dicitur intentionale, dicuntur habere in Deo res omnes, quæ in illâ tamquàm in medio cognoscuntur: Si enim hoc esse similitudinis, sive intentionale non haberent in Deo, nullo modo possent à Deo cognosci: Sicut si Petrus non haberet esse similitudinis, & intentionale in illâ specie accidentali speculi, nullatenus posset in speculo videri. Hæc doctrina manet supra latissimè explicata prælud. 2. & 3. & in 1. Conclusionem.

Aliud est, 170. Ostenditur quarrò. Quia aliud est, Deum scire, & cognoscere ea omnia, quæ homines cognoscunt, & enuntiant: Et aliud, ipsum Deum cognoscere ea secundum modum, quo talia objecta homines cognoscunt, & enuntiant: Primum est verissimum; ut expressè docet Sanctus Thomas quæst. 3. de idæis, artic. 3. in corpore, ibi: *Et quia res, quas facit, vel facere potest, non solum considerat, secundum quod sunt in proprio esse; sed secundum omnes intentiones, quas intellectus humanus resolvendo in eis apprehendere potest; idèd habet cognitionem de rebus operabilibus à se, etiam eo modo, quo non sunt operabiles; & scit etiam quædam, quorum sua scientia causa esse non potest, sicut mala; unde verissimè in Deo practicam, & speculativam cognitionem ponimus.* Secundum verò est omnino falsum; ut tenet idem Angelicus quæst. 2. de scientiâ Dei, artic. 1. ibi: *Ad 4. dicendum, quod quia illud, quod in Deo est absque omni imperfectione, in creaturis cum aliquo defectu invenitur; propter hoc oportet, quod, ut si aliquid in creaturis inventum, Deo attribuat, separemus totum, quod ad imperfectionem pertinet, ut solum remaneat hoc, quod perfectionis est; quia secundum hoc tantum creatura Deum imitatur. Dico igitur, quod scientia, quæ in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis: Ad perfectionem ejus pertinet certitudo ipsius; quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur: Sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus à principiis in Conclusiones, quorum est scientia..... Dicitur ergo in Deo scientia ratione certitudinis de rebus cognitis; non autem ratione discursus. Ita Magister Angelicus.*

171. Ex hoc duplici principio infero primò Deum quidem certissimè cognoscere in se ipso independenter ab omni decreto, simplici quâdam, & speculativâ cognitione, sive intelligentiâ omnes illas veritates conditionatas, quæ in scripturis revelantur, & quæcumque alia objecta conditionata, quæ à nobis formantur, & enuntiantur; non tamen secundum modum, quo à nostro intellectu formantur, & enuntiantur. Unde non cognoscit eas ut conditionatas, nec conditionatè ex parte sui actus; sed absolutè, & unico intuitu. Ratio est. Tum quia in his conditionatis: *Si virtutes, & miracula, quæ facta sunt Judæis, Tyriis, & Sidoniis facta fuissent, Tyrii & Sidonii certò penitentiam egissent: Si Rex David in Urbe Ceila mansisset, certè traderent in manus Saul:* Et sic de aliis: Datur quædam connexio antedentis conditionati cum veritate consequentis; ut ex se constat: Non enim se habent hujusmodi enunciations, sicut hæc: *Si Turca saltares, Sol oriretur, &c.* Atqui Deus non cognoscit, nec attingit ullam veritatem per connexionem unius cum alio, aut ex alio; cum talis modus cognoscendi sit discursivus, & imperfectus. Ergo Deus licèt cognoscat illas veritates, quæ sub conditione affirmantur; non tamen eas cognoscit conditionatè; sed absolutè, nec eas attingit secundum modum nostrum imperfectum cognoscendi; sed unico intuitu cognoscendo virtutes illas, & sub illis voluntates Tyriorum in eâ occasione, & simul sui dominii potestatem, & idæam penitentiam Tyriorum expressivam, certissimè cognoscit absque ullo discursu, & conditione ex parte suæ scientiæ penitentiam, & illam Tyriorum conversionem, quæ à nobis sub illis terminis, & conditionibus explicantur. Ergo cum eadem ratio militet de omnibus veritatibus conditionatis futurorum contingentium, & actuum liberorum, quibus utuntur Theologi in hæc controversiâ ad expediendas difficultates, quæ pro liberi arbitrii cum divinâ providentiâ, & efficaciâ gratiæ concordia passim insurgunt; dicendum prorsus est, Deum prædicto, & non alio modo veritates illas conditionatas certò attingere. Tum quia hoc ipsum videntur innuere antiqui Theologi, cum à controversiâ Sapientissimi Molinæ pronuntiarunt, scientiam conditionatam, sive mediam hoc sibi nomen vendicare non ex parte divinæ scientiæ; sed solam ex parte objecti secundum modum, quo intellectus noster talia objecta cognoscit.

172. Infero secundò eadem connexionem

Deus igitur non cognoscit futura illa conditionata S. Evangelio revelata, ut conditionata.

Nec cog-
noscit ob-
jecta fu-
tura ut
futura. Ita
Angeli-
cus q. 2.
de scientia
Dei, artic.
12. in
corpore.

Compendium
et
Ripalda

ne doctrina Deum nullo modo cognosce-
re objecta futura, ut futura; sive loqua-
mur de futuris contingentibus absolutis;
posito decreto Dei præfinito; sive de
contingentibus conditionate futuris, quæ
independentem ab omni decreto Deus suam
cognitionem, & scientiam speculativam certò
cognoscit. Hujus illationis veritas manet
supra latissimè probata, præcipuè præ-
ludio 4. propos. 5. & iterum potest ro-
borari ex mente Doctòris Angelici quæst.
2. de scientia Dei, artic. 12. in corpo-
re, ibi: *Ex quo patet, contingens, ut fu-
turum est, per nullam cognitionem sciri, cui
falsitas subesse non possit: Unde cum divina
scientia non subit falsitas, nec subesse possit,
impossibile esset, quod de contingentibus futu-
ris scientiam haberet Deus, si cognosceret
ea, ut futura sunt: Tum autem aliquid co-
gnoscitur, ut futurum est, quando inter co-
gnitionem cognoscentis, & rei eventum in-
veniretur ordo præteriti ad futurum: Hoc au-
tem ordo non potest inveniri inter cognitionem
divinam, & quamcumque rem contingentem:
Sed semper ordo divina cognitionis ad rem
quamcumque, est sicut ordo præsentis ad præ-
sens.*

Pro illa
veritate
subiuncto
exempli,
& conspici-
ticia e-
jusdem S.
D. verba
ibidem.

173. Quam doctrinam exponit, &
probat S. Doctòr hoc exemplo, ibi:
*Quod quidem hoc modo intelligi potest: Si
aliquis videret multos transeuntes per unam
viam successivè; & hoc per aliquod tempus; in
singulis partibus temporis videret præsentialiter
aliquos transeuntes; ita, quod in toto
tempore sua visionis omnes transeuntes præsen-
tialiter videret; nec tamen simul omnes præ-
sentialiter; quia tempus sue visionis non est to-
tum simul; si autem sua visio tota simul posset
existere, simul præsentialiter omnes videret,
quamvis non omnes simul præsentialiter tran-
sirent: Unde cum visio divina scientiæ æterni-
tate mensuretur, quæ est tota simul; & ta-
men totum tempus includit, nec alicui parti
temporis deest; sequitur, ut quicquid in tem-
pore geritur, non ut futurum; sed ut præ-
sens videat: Hoc autem, quod à Deo visum
est, futurum est rei alteri, quæ succedit in
tempore; sed ipsi divine visioni, quæ non in
tempore; sed extra tempus est, non est futu-
rum; sed præsens. Ita ergo nos videmus fu-
turum ut futurum: Quia visioni nostra futu-
rum est; cum ipsa tempore mensuretur; sed
divine visioni, quæ est extra tempus, futu-
rum non est..... Sicut ergo noster visus non
fallitur unquam videns contingentia; ut sunt
præsentia; & tamen ex hoc non removet;
quoniam illa contingentem eveniant: Ita Deus in-
fallibiliter videt omnia contingentia, sive quæ
nobis sunt præsentia, sive quæ præterita, sive
quæ futura: Quia sibi non sunt futura; sed
ea inspicit esse tunc, quando sunt: Unde ex
hoc non removetur, quin contingentem evo-
niant. Difficultas autem in hoc accidit, et*

quod divinam cognitionem significare non pos-
sumus; nisi per modum nostræ cognitionis,
consignificando differentias: Si enim signifi-
catur, ut est Dei scientia, magis debere
dici, quod Deus scit hoc esse, quam quod
sciat futurum: Quia sibi nunquam sunt fu-
tura; sed semper præsentia. Unde etiam, ut
Boëtius dicit in lib. 5. de consol. ejus cog-
nitio de futuris, magis proprie dicitur provi-
dentiæ, quam providentiæ: Quia ea potest
quasi longè positus in æternitatis speculo, in-
tueri; quamvis etiam & providentiæ dici
possit propter ordinem ejus, quod ab eo sci-
tur, ad alia, quibus futurum est. Hæc
Doctòr Angelicus. Ex cujus verbis omni-
nò aureis, quam plures suppetunt effi-
caces rationes tum pro certò stabilien-
dâ præsentii illatione, tum pro depellen-
dâ caligine, quæ in hæc disputatione in
ipsis difficultatibus, quæ frequenter oc-
currunt, non absque veritatis dispendio
sæpè sæpius offunditur: Unam tamen
non omitam, ultima autoritatis ver-
ba firmari ex Psalmo 138. ibi: *Intellexisti
cogitationes meas de longè..... Et
omnes vias meas prævidisti..... Ecce
Domine, tu cognovisti omnia novissima, &
antiqua..... Mirabilis facta est scientia
tua ex me, confortata est, & non potero ad
eam.*

174. Scio tamen, nostræ Societatis Aliter-
Doctores omninò plures aliis efficacissi-
mis rationibus solide certare, ut super-
struam sententiæ Thomisticæ molens
in decretis absolutis ex parte Dei, &
conditionatis ex parte objecti, funditus
convellant: Quia tamen instituti nostri
haud est, aliorum meditationibus com-
pilatis paginas implere: Scopus quoque no-
bis præfixus, hæc Scholasticam, &
quasi Theologicam allegationem solam
tentaverit, ut constet, doctrinam Divi
Thomæ non esse alienam à nostrâ Xa-
verianâ Academiâ: Nec in hoc præ-
sertim puncto ab universis Societa-
tis Scholis. Qui plura velit, absque
negotio poterit perquam celebres no-
strorum commentarios utiliter consu-
lere.



LECTIO IV.

Proponuntur argumenta Thomistarum pro sua contra primam nostram Conclusionem.

Argumentum ex S. Thomâ in 1. dist. 46. artic. 1. ad 2. & q. 23. de verit. artic. 3.

175. **A**rguitur primò ex Divo Thomâ in 1. dist. 46. quæst. 1. artic. 1. ad 2. ibi: *Voluntas antecedens potest dici conditionata; non tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ; sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Sed voluntas antecedens est voluntas beneplaciti, ut docet idem S. Doctor quæst. 23. de verit. artic. 3. in corpore, his verbis: *Invenitur enim in Deo propriè ratio voluntatis; & sic voluntas de Deo propriè dicitur, & hac est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & consequentem distinguitur.* Ergo ex Divo Thomâ datur in Deo voluntas beneplaciti conditionata. Hoc argumentum utitur Gonetius, ut conlter, sententiam Thomistarum ex propriâ Divi Thomæ mente emanare.

Divina voluntas salvandi homines est antecedens, & absoluta ex parte actus, quam ex parte mediorum.

176. Respondeo igitur, primò voluntatem antecedentem juxta mentem Divi Thomæ esse absolutam tam ex parte actus, quam ex parte mediorum, quæ præparat Deus omnibus hominibus, quos vult salvari; unde ex hac parte cum habeat objectum extra se formaliter contingens, & secundum propriam naturam, nulla est difficultas in concedendâ hâc voluntate in Deo; cum habeat effectum, & terminum suæ libertatis, sine quo, ut constat ex dictis, implicatoria, & imperceptibilis est quæcumque volitio libera actu terminativè in Deo: Per hanc igitur voluntatem Deus dicitur velle, omnes homines salvos fieri; ut docet idem S. Doctor eâdem quæst. de verit. art. 2. in corpore dicens, ibi: *Quia ergò omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle.*

Illa voluntas potest dici conditionata; sed non purè; & ratio sumitur ex Angelico ibidem.

177. Respondeo secundò voluntatem antecedentem posse dici conditionatam in sensu intento à D. Thomâ, & à Damasceno, qui utramque voluntatem introduxit: Aliud non esse, nisi Deum dedisse omnibus hominibus naturam ordinatam ad beatitudinem, cum omnibus illis mediis five naturalibus, five gratuitis, quibus, nisi stet per ipsos, omnes homines possint salvari: In quo præcisè nulla est veritas purè conditionata, nec ex parte actus, ut supponitur, nec ex parte voliti.

Theol.

Quia non est conditionatè verum: Sed absolutè est verum, Deum ex parte sui dedisse omnibus hominibus naturam ordinatam ad beatitudinem, & sufficientia media, quibus ipsi, nisi defectus stet per ipsos, salutem consequantur: Et hoc est velle voluntate antecedente, omnes homines salvos fieri, quatenus est ex parte sui: Non tamen voluntate consequente: Quia voluntas consequens Dei est, quæ bene operantibus vult absolutè dare gloriam. Ratio hujus explicationis sumitur ex S. Doctore loco citato, ibi: *Dicendum, quod voluntas divina per antecedentem, & consequentem convenienter distinguitur: Cujus distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus, qui hanc distinctionem introduxit: Dicit enim in 2. lib. quod voluntas antecedens est acceptio Dei ex se ipso existens: Sed voluntas consequens est conversio ex nostra causa.* Ex quibus clarè constat, voluntatem antecedentem posse dici conditionatam; idem esse, ac Deum non velle voluntate consequente, & absolutâ ulli hominum dare gloriam, nisi existat conditio meritorum, & bonorum operum. Hinc est, quod utraque voluntas infert veritatem absolutam, & objectum absolutè existens in propriâ naturâ. Etenim objectum voluntatis antecedentis est natura rationalis ex se ordinata ad beatitudinem cum omnibus requisitis ad eam obtinendam, nisi ex parte hominis sit defectus: Cum ergo tam natura rationalis, quam illa requisita absolutè existant in propriâ naturâ; inde est, quòd talis voluntas nec ex parte Dei, nec ex parte mediorum, quæ vi illius omnibus hominibus præparantur, possit dici conditionata. De voluntate consequenti res etiam est facilis: Quia hæc ab omnibus dicitur absoluta, quatenus præsupponit præscientiam meritorum, teste Divo Thomâ in dist. 46. artic. 1. ibi: *Voluntas consequens præsupponit præscientiam operum.*

178. Ex his planè constat, Adversarios abuti voluntate Dei antecedenti, ad probanda decreta Dei absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti nunquam exituri ex defectu nunquam putificandæ conditionis; violenterque probanda Divi Thomæ auctoritatem adduci pro suo opinandi modo. Quæ omnia pro majori solutionis intelligentiâ multis possunt illustrari. Primò. Quia ratio Divi Thomæ asserentis, voluntatem Dei antecedentem posse dici conditionatam; ea est: Nimirum quia ejus objectum, five volitum non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem. Tunc sic. in hoc loco circumstantiæ, & conditiones idem omninò sunt; cum Sanctus Doctor ad probandum, voluntatem antecedentem posse dici conditionatam,

Adversarii abutuntur voluntate Dei antecedenti ad sua probanda decreta,

N

tionatam,

tionatam, assumat pro medio circumstantias ex parte voliti: Nam *ly conditionatam* in primâ terminorum apprehensione comparatur ad aliquam, vel aliquas condiciones. Atqui ex parte voliti, sive objecti solum deest circumstantia, sive conditio meritorum, aut bonorum operum. Ergo voluntatem antecedentem dici conditionatam, idem est, ac Deum non velle voluntate consequente, absolutâ, & efficaci salutem omnium hominum: Quia ex parte voliti non accipitur, vel deficit conditio meritorum. Major patet ex ipsis verbis Doctoris Angelici, & roboratur auctoritate S. Ambrosii, qui exponens huc Apostoli locum: *Deus vult omnes salvos fieri*, ait: *Deus vult omnes homines salvos, si accedant ad ipsum. Non enim sic vult salvare, quod nolentes salventur; sed vult salvare, si ipsi velint.* Ergo ex Divo Ambrosio propter defectum conditionis bonorum operum, potest dici voluntas actûs conditionata; non quia respectu mediorum, & donorum, quæ ex divinâ bonitate omnibus hominibus præparantur, & offeruntur, ut homines, si velint, accedant ad Deum, talis voluntas non sit absoluta, verumque objectum, & terminum absolutè inferat in propriâ naturâ. Jam verò cum in sententiâ Thomistarum decreta illa, in quibus scientia conditionata fundatur, non inferant existentiam absolutam, & in propriâ naturâ sui objecti purè conditionati; sed solum in esse objectivo, & intentionali, ut docent Thomistæ: Certè voluntas illa Dei antecedens nullum præstat subsidium decretis illis purè conditionatis; hoc est, sine objecto, & termino extrâ existente in propriâ naturâ.

179. Secundò. Quia illa Apostoli propositio ad Timoth. 2. *Qui vult, omnes homines salvos fieri*; non est conditionata, sicut ista: *Si in Tyro, & Sydone facta fuissent virtutes, in cilicio, & cinere poenitentiam egissent.* Ergo decretum absolutum ex parte Dei circa poenitentiam purè conditionatam Tyriorum, inutiliter probatur per voluntatem salvandi omnes homines. Tertio. Quia ea, quæ per voluntatem antecedentem fiunt, pertinent ad scientiam visionis, & approbationis absolutæ. Sed objecta illa, quæ conditionatè determinantur, & fiunt per decreta illa, non pertinent ad scientiam visionis absolutæ; sed solum ad scientiam conditionatam. Ergo longè diversa est ratio de voluntate antecedenti, ac de illis decretis. Quarto. Quia decretum de poenitentia conditionatâ Tyriorum, est efficax conditionatè; cum certissimè inferat veritatem conditionatam: Alias si esset conditionatè inefficax, objectum illud nec conditionatè existeret: Sic enim se habet ex parte Dei

decretum prædeterminans efficaciter objectum in statu conditionato, ac se habet decretum prædeterminans efficaciter objectum, aut terminum in statu absoluto. Sed decretum, aut voluntas antecedens in Deo de omnium hominum salutè, quocumque modo dicatur conditionata, adhuc in sententiâ Thomistarum non est voluntas efficax; sed inefficax. Ergo per hanc voluntatem malè probantur decreta illa purè conditionata ex parte objecti, & subjectivè absoluta ex parte Dei.

180. Ex hac doctrinâ redditur omnino imbelles argumentum aliud, quod nobis solet objicere Schola Thomistica ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, quæ continere videntur illa decreta conditionata actu terminativè ex parte Dei; ut Genesios 18, quod Deus dimitteret, & non deleteret Sodomam, si in illâ fuerint quinquaginta, aut triginta viri justi: Quod viveret Rex Sedechias, si exierit ad Regem Babylonis; & alia similia; quorum conditiones nunquam fuerunt positæ: Unde arguit Gonetus. Nam quando Deus talia conditionata ut certè, aut infallibiliter futura pronuntiabat; vel ejus voluntas erat determinata ad illa ponenda, vel non? Si primum: Habetur intentum: talis enim determinatio cum esset libera, & non necessaria, erat aliquod decretum liberum: Et cum non esset absoluta, sed ex aliquâ conditione pendens, non erat decretum absolutum; sed conditionatum, ex parte objecti. Secundum verò dici nequit: Si enim voluntas divina erat suspensa, & indeterminata ad illorum productionem, illi etiam effectus, qui ab illâ tamquam à causâ pendebant, essent suspensi: Cur ergo Deus illa pronuntiat locis scripturæ citatis, ut certos, & infallibiliter futuras, si posita fuisset aliqua conditio?

181. Hæc, inquam, nobis negotium Ealoca nullum faciunt: Tum quia hujusmodi loca explicantur, sicut textus ille Mathæi 11. de poenitentia Tyriorum; quorum omnium veritatem certissimè, & infallibiliter cognoscit Deus in suâ essentiâ, sine in eorum objectorum idem ut sibi objectivè præsentem, independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei: Cum ad hoc sufficiat, Deum cognoscere potestatem sui dominii, quâ uteretur, ut parceret Sodomis, existentibus in urbe quinquaginta, aut triginta justis: Ex quâ cognitione rectè, & certissimè pronuntiat dominium, quod dimitteret, & non deleteret Sodomam: Non quia actu habeat dominandi decretum: Sed quia in illa rerum serie haberet tale decretum, existentibus in urbe toridem justis: Quod est valdè

Ea voluntas salvandi homines, non est ita conditionata, ut hæc propositio: *Si in Tyro, &c.*

zdi ta
obntio
crtio

Aliud propositio remissive Adversariariorum actum ex pluribus S. Scripturæ locis, quæ optatur sua continere decreta.

Ealoca explicatur, sicut ille Mathæi 11. Si in Tyro, &c.

valde diversum. Ratio hujus est primò. Quia cum talia Deus certò pronuntiabat, erat actu in Deo decretum efficax delendi absolutè Sodomam. Ergo tunc non erat in Deo decretum efficax ex parte sui non delendi Sodomam, si essent quinquaginta, aut triginta justi: Hæc enim purè conditionata non delendi voluntas, supposità primà absolutà, & efficaci delendi Sodomam, planè videret otiosa, & absque ullo effectu contraria primæ. Secundò. Quia illa decreta actu ex parte Dei, & purè conditionata ex parte objecti, cum sint actus voluntatis Dei procedentes ex divinâ bonitate, non potest inesse saltem ex parte Dei specialis aliqua dilectio circà Tyrios in volendo eorum pœnitentiam sub illâ conditione virtutum; & ergà Sodomam in non delendâ misericorditer urbe sub illâ conditione quinquaginta justorum. Cujus ratio est. Quia Deus, adhuc positâ illâ conditione virtutum, quæ factæ sunt Judæis; poterat non velle efficaciter pœnitentiam Tyriorum; sicut sub eisdem virtutibus non voluit conversionem Judæorum; similiter potuisset nolle Sodomis dimittere sub conditione quinquaginta, aut triginta justorum. Sed major dilectio est ex parte Dei, velle pœnitentiam Tyriorum sub illâ conditione, quam eos delere. Ergo semel admissis hujusmodi decretis ex parte Dei actu terminativè, necesse est, fateri in illis esse, aut præcludere specialem aliquam dilectionem ex parte ipsius Dei.

Ex S. Thomâ 3. cõtra gentes, cap. 150. n. 2. probò implicatõriã spẽcialẽ Dei dilectiõnem circa objectã purè conditionatã.

182. Tunc sic. Sed specialis dilectio ex parte Dei circà objecta purè conditionata, quæ ex defectu conditionis nec existunt, nec unquam existent in propriâ naturâ, est imperceptibilis, implicatoria, & expressè contraria principiis Divi Thomæ. Ergo. Minor subsumpta, quæ sola indiget probatione, probatur efficaciter argumento Doctoris Angelici lib. 3. contra gentes, cap. 150. num. 2. ibi: *Dilectio Dei est causativa boni, quod in nobis est, sicut dilectio hominũ provocatur, & causatur ex aliquo bono, quod in dilecto est: Sed homo provocatur ad specialiter aliquid diligendum propter aliquod speciale bonum in dilecto præexistens: Ergo ubi ponitur specialis dilectio Dei ad hominem, oportet, quod consequenter ponatur aliquod speciale bonum homini à Deo collatum.* Ita S. Thomas. Subsumo jam. Sed decreta illa subjectivè ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, nullum bonum causant hominibus; cum solum causent esse objectivum: Hoc autem nec speciale, nec absolutè bonum dici potest: Quod enim extra causas, & in propriâ naturâ non existit, nec unquam existet, nec extitit, non potest dici bonum à Deo: Alias dicere possemus, Deum magis diligere qual-

Theol.

dam creaturas possibiles præ aliis possibilibus; cum intra possibilitum spheram sint plura beneficia purè conditionata, quæ Deus sub hæc conditione, aut serie possibili conferret his possibilibus potius, quam aliis. Ergo de primo ad ultimum illa Thomistica decreta implicatoria sunt, & omnino repugnantia Divi Thomæ doctrinæ.

183. Arguitur secundò. Quæ non sunt ex se, & ex naturâ suâ connexa, non possunt infallibiliter connecti, nisi ab aliquâ causâ extrinsecâ, & infallibili. Sed conversio Tyriorum v. g. non erat ex se, & ex naturâ rei connexa cum prædicatione Christi Domini, vel cum illis signis, & visionibus, quæ Dominus fecit apud Judæos; ut evidens est. Ergo non poterat infallibiliter connecti cum tali conditione, nisi ab aliquâ causâ extrinsecâ, illa extrema infallibiliter conjungente. Hæc autem non potest alia esse, vel concipi, quam divina voluntas, quæ, tali positâ conditione, decreverat dare Tyriis efficacem gratiam, per quam infallibiliter simul, & liberè converterentur ad fidem. Ergo. Confirmatur. Quando conditionalis non est vera in vi illationis, non potest esse vera absolutè nisi in vi alicujus causæ extrinsecæ, quæ infallibiliter ponat consequens, posito antecedenti; ut docent Dialectici in Summulis. Sed in istis propositionibus conditionalibus de futuro contingenti, quas Deus in scripturis revelavit: *Si percussisses terram quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem 4. Reg. 13. Si in Tyro, & Sydone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, in cõflicto, & cinere pœnitentiam egissent, Math. 11.* & sic de alijs: Antecedens non continet causam certam, & infallibilem consequentem: Nam effectus contingens nullam habet connexionem ex naturâ rei cum conditione. Ergo propositiones illæ conditionales de futuro contingenti non poterant esse veræ infallibiliter, nisi in vi alicujus decreti divini, talia extrema connectentis, &c. Ita Gonet disputat. 5. artic. 2. §. 4.

184. Respondeo primò. Concedendo totum primum syllogismum, & negando minorem subsumptam. Causa igitur inferens infallibilem illam veritatem de pœnitentiâ Tyriorum, & de hujusmodi alijs veritatibus conditionatis; est ipsa essentia divina, quatenus ut infinitè representativa omnium rerum, causarum, & actuum etiam contingentium, est medium cognoscendi omnem veritatem; vel (quod idem est) sunt rationes, sive idææ rationalium objectorum expressivæ: Unde causa connexionis, & infallibilis veritatis de pœnitentiâ Tyriorum, est idæa illa, quæ re-

Arguitur 3. Quia cum conversio Tyriorum nõ fuisset connexa cum illis virtutibus, opus est decreto extrinsecõ ipsa conjungente.

Ad 7. d. co, causã infallibilem inferentem illam conversionem, esse divinã esse-

præleg-

præsentat actualem pœnitentiam Tyriorum, liberum eorum arbitrium, virtutes, & reliqua comprincipia, sub quibus potius est conversio Tyriorum, quam eorumdem non conversio. Et ratio est. Tum quia, ut supra probatum est, Deus ut infinite, & perfectissimè comprehensivus, habet in sua essentiâ idéas non solum causarum contingentium, & liberarum; sed etiam omnium eorum actuum contingentium: Quamvis enim, ut supra notabam, in idéâ præcisè causæ contingentis etiam cum omnibus suis virtutibus, & comprincipiis non possit Deus certò cognoscere actum contingentem, & determinatè liberum; quia talis idéa solum est medium cognoscendi causam cum potestate, & indifferentiâ ad utrumlibet; bene tamen cognoscit actum contingentem, & liberum ex sua quidditate in idéâ, quæ repræsentat in hæc, vel illâ circumstantiâ actum determinatè liberum: Jam verò cum Deus habeat idéam repræsentativam pœnitentiæ Tyriorum sub illis circumstantiis, & virtutibus; & simul cognoscat liberam sui arbitrii potestatem, certissimè in eâ tamquam in medio intelligibili cognoscit, quod si velit pro suo nutu manifestare practicè, quod speculativè cognoscit in tali idéâ; tunc esset certissimè pœnitentia Tyriorum: Quod est veritas revelata in illo sacro textu Mathæi. Nec ad eandem veritatem cognoscendam, opus est, quod Deus illam modo conditionali, & illativè cognoscat; quasi secum diceret: Si virtutes, & prædicationem, quas apud Judæos fieri decrevi, decernerem apud Tyrios, & Sydonios, absque dubio isti pœnitentiam egissent: Hæc autem conditionalis illatio indigna est Deo; & qui hoc modo concipit Deum sibi loquentem, & de futuris conditionatis meditantem, parùm Theologicè, & pingui minervâ discurret. Unde modus ille, quo in Evangelio revelata est pœnitentia Tyriorum, solum deservit, ut nos modo illo illativo, & conditionali, pro humani intellectus imperfectione intelligeremus illam veritatem, quam sine conditione, & discursu, unico intuitu in sua essentiâ, sive in illâ idéâ certissimè cognoscit.

In divinâ essentiâ est idéa, & medium perfectissimè repræsentans illam conversionem. 185. Tum etiam quia qui cognoscit medium, in quo certissimè, & perfectissimè repræsentatur aliqua res, non potest non cognoscere eam in tali medio; ut exemplo speculi, & pluribus aliis ostendimus supra: non aliâ ratione, nisi propter connexionem mediæ cum objecto repræsentato. Sed talis idéa est medium perfectissimè repræsentans pœnitentiam Tyriorum in illis circumstantiis. Ergo talis idéa necessariò connexa cum tali objecto re-

præsentato, erit causa connexionis, & infallibilitatis ad certò cognoscendam talem veritatem. Tum quia si artifex aliquis in sua mente formaret idéam alicujus domus, quæ esset v. g. octangula, & cum hæc, vel illa dispositione atrii, turrium, cubiculorum, & aliorum juxta regulas artis; quamvis non haberet voluntatem fabricandi opere externo hujusmodi domum sic ideatam; nullus dubitat, quin certò possit elicere hunc discursum conditionalem: Si ego velim domum, quam in hæc meâ idéâ cognosco, ad opus externum producere, illa erit octangula; hoc atrio, turribus, & aliis ornaretur: Reticulum enim esset, si Theologaster aliquis diceret, artificem hunc non posse cognoscere talem veritatem, nisi eliciendo actum liberum, quo veller sub conditione nunquam ponendâ, talem domum esse octangulam; & quod hic actus subjectivè ex parte artificis, & conditionatus ex parte objecti, esset causa veritatis conditionatæ. Ergo cum Deus ex infinitâ suæ essentiæ perfectione habeat idéas omnium actuum liberorum, & contingentium in quibuscumque circumstantiis, & occasionibus; poterit multò perfectius cognoscere omnes veritates, quæ ex connexionem mediæ cum objecto in illis repræsentantur; quin ad hoc teneatur Deus elicere illa decreta omninò sterilia, supervacua, & infructuosa, ut tales causent veritates: Certè cum hoc in creato artifice supervacaneum, & ridendum censeatur, sinerè fateor, talia decreta in Deo esse mihi mysteria captu prorsus difficilia.

186. Hinc facilis est solutio ad confirmationem, quam format Gonetus ex veritatibus in sacrâ paginâ revelatis. Dico ergo, veritates conditionales illarum propositionum non contineri præcisè in connexionem antecedentis cum consequenti in vi illationis præcisè; sed solum in medio divinæ essentiæ, sive in idéâ illâ, in quâ conjungitur repræsentativè antecedens cum consequenti: Nunquam tamen hujusmodi veritates posse contineri in decreto illo, quod ponitur à Thomistis, tamquam causâ extrinsecâ earum. Tres partes continet solutio. Ratio primæ est omnibus communis, & nota. Quia in illâ propositione conditionaliter illativâ; v. g. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent, &c.* antecedens est virtutes illæ positæ in Tyriis, & Sydoniis ad movendos eos ad pœnitentiam. Sed nullum principium intrinsecum ex parte causæ liberæ habet infallibilem connexionem cum actu determinato illius. Ergo veritas talis conditionalis nullo modo continetur in connexionem antecedentis cum consequenti. Etiam si

Etiamsi idæa illa, in quâ repræsentatur liberum Tyrriorum arbitrium cum illis virtutibus, & aliis comprincipiis ad operandum nostro modo intelligendi consideretur ut antecedens, nullam potest dicere adhuc repræsentativè infallibilem connexionem cum illo consequenti pœnitentiæ Tyrriorum. Cujus ulterior est ratio. Quia medium repræsentans objectum antecedentis cum indifferentiâ ad utrumlibet, non potest adhuc repræsentativè inferre infallibiliter alterum ex extremis determinatè: Quia in medio indifferenti ad utrumlibet, neutrum potest determinatè cognosci, nec infallibiliter inferri. Sed illa idæa solum repræsentat illud antecedens liberi arbitrii, & virtutum cum cæteris requisitis. Ergo talis idæa non potest esse causa infallibilis connexionis illius antecedentis cum consequenti pœnitentiæ illius conditionaræ.

Illa ergo
connexio
solum est
in divinâ
idæa, in
quâ re-
præsentati-
vè cõjũ-
gitur an-
tecedens
cum con-
sequenti.

187. Ratio secundæ partis est primò.

Quia, ut probatum est, in Deo dantur idææ, in quibus cognoscuntur cognitione, & scientiâ speculativâ omnes operationes contingentes, & actus liberi arbitrii independentes ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei. Ergo dantur in Deo idææ, in quibus repræsententur, & cognoscantur causæ liberæ actu operantes utrumque contradictionis extremum simul; v. g. consensum, & dissensum, pœnitentiam simul, & impœnitentiam Tyrriorum sub illis virtutibus. Ergo dantur in Deo idææ, in quibus repræsententur, & cognoscantur operationes liberæ determinatæ, hæc potius, quàm aliæ in hac circumstantiâ, & occasione; vel causæ liberæ actu operantes hunc actum possibilem potius, quàm alium: Permite modum loquendi in statu merè possibilitatis. Primum antecedens, & consequentia constant. Minor verò subsumpta probatur. Quia dari idæas in Deo, in quibus repræsententur causæ liberæ actu operantes; aliud non est, quàm dari in Deo rationes, vel similitudines substantiales causarum liberarum actu operantium: Sicut dari in speculo idæam, vel speciem, in quâ repræsentetur Petrus ingrediens cubiculum; aliud non est, quàm dari in speculo idæam, sive speciem, quæ sit expressa similitudo accidentalitatis Petri, cubiculum ingrediens. Sed implicat in Deo similitudo, sive idæa duplicis contradictorii, v. g. consensus, & dissensus simul in eadem occasione, & temporis circumstantiâ; aut similitudo pœnitentiæ simul, & impœnitentiæ sub illis virtutibus, & circumstantiis Mathæi II. revelatis. Ergo solum potest dari idæa, sive similitudo pœnitentiæ Tyrriorum in illis circumstantiis potius, quàm impœnitentiæ. Major con-

stat. Minor verò videtur ex ipsis terminis certa. Quia sicut in Deo non datur potentia ad terminum contradictoriè oppositum; sic intrâ sphæram rerum possibilem non datur idæa, aut similitudo ad veritatem, quæ implicat contradictionem. Consequentia verò legitime inferitur. Sed in illâ idæa, quæ est similitudo pœnitentiæ Tyrriorum potius, quàm impœnitentiæ sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis, sive (quod idem est) similitudo, & repræsentatio liberi arbitrii Tyrriorum cum talibus virtutibus, & reliquis comprincipiis liberè operantis; conjunguntur repræsentativè antecedens, & consequens illius propositionis conditionalis; videlicet *Si in Tyro, & Sydone*, &c. Ergo talis idæa est medium, & causa cognoscendi connexionem illius antecedentis cum consequenti, sive (quod idem est) infallibilem veritatem illius conditionalis.

188. Secundò. Quia in hoc absoluto rerum statu certum planè apud Theologos est, Deum non solum cognoscere scientiâ visionis causas liberas cum indifferentiâ ad utrumlibet; sed etiam illas actu operantes pro suâ temporis differentiâ: Unde antequàm apud Judæos contingerent, cognovit conversionem Divæ Magdalene potius, quàm non conversionem, vel ejus voluntatem ex amore, & contritione determinatè operantem; & sic de aliis actibus liberis absolutè respectu nostri futuris. Sed, ut in superioribus ostensum est ex Sanctis Augustino, Thomâ, & aliis Patribus, Deus solum cognoscit in se ipso omnia absolutè existentia, aut absolutè futura. Ergo in medio, in quo Deus cognoscit voluntatem D. Magdalene actu absolutè, & determinatè pœnitentem potius, quàm non pœnitentem; cognoscit conjunctionem ejus voluntatis cum divinis auxiliis, cum ejus actuali conversione; pœnitentiâ, lacrymis, &c. Ergo sicut medium, in quo antecedens, & consequens conjunctim cognoscuntur pro statu absoluto, est causa certò, & infallibiliter cognoscendi in statu absoluto, veritatem absolutam talis conversionis; sic in medio illo, in quo independentes ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei, cognoscit conversionem possibilem Tyrriorum potius, quàm non conversionem possibilem sub illis virtutibus, & circumstantiis; ac proinde conjunctionem antecedentis causæ cum omnibus requisitis, cum operatione consequentis, Deus certò cognoscit veritatem illam de pœnitentiâ Tyrriorum ex connexione ipsius medi cum antecedenti, & consequenti, quæ in illo conjunctim repræsentantur. Tertio. Quia suppositis hujusmodi rationibus,

Ulteriori
ratione
hanc cõ-
nexionem
firmo in
idæa divi-
nâ.

nibus, & idæis, quæ non possunt Deo tuto negari, nisi intellectus in meridianâ luce cœcuriat; verissimè formamus hanc conditionalem independentem ab omni decreto Dei, sic discurrendo: Deus scientiâ, & cognitione speculativâ cognoscit verè possibilem conjunctionem voluntatis Tyrionum cum eorum pœnitentiâ, cum illis virtutibus, & in illis circumstantiis: Ex quo principio hæc conditionalis est infallibiliter vera: Ergo si Deus velit, aut vellet pro suo libito, & potestate transferre de statu possibilitatis talem conjunctionem ad statum absolutæ futuritionis, talis conjunctio, certissimè esset, aut erit. Sed talis conjunctio est veritas in Evangelio revelata; videlicet *Si in Tyro, & Sydone facta fuissent*, &c. Ergo Deus independentem ab omni decreto, & intrâ spheram statûs possibilitatis, in medio suæ essentiæ, vel in suis idæis cognoscit certò, & infallibiliter hanc veritatem conditionatam; sicut & omnes alias, quæ in hac controversiâ disputandæ trahuntur.

Nûc probò, illa Thomistica decreta non posse esse causâ conditionem illam infallibilem antecedentis cû consequenti connexionem.

189. Ratio tertiæ partis; nimirum illa decreta Thomistica non posse esse causam extrinsecam, quæ contineat infallibilem connexionem antecedentis cum consequenti ad certò cognoscendas veritates illas sub nunquam ponendâ conditione revelatas; probata manet superabundanter, & efficaciter omnibus illis rationibus, quas efformavimus in prima & secunda Conclusionè, & ferè in totâ hac controversiâ contrâ hujusmodi decreta, Divi Thomæ, & bonæ Theologiæ repugnantia principiis. Præterea: Certum est ex Angelici doctrinâ, ea objecta, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futura sunt, esse possiblea. Sed objecta purè conditionata sunt de his, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquam futura sunt. Ergo talia objecta purè conditionata sunt possiblea. Major est Sancti Doctoris lib. 1. contra gentes, cap. 60. ibi: *Ea enim, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo sciuntur, quasi ejus virtuti possiblea*. Tunc sic. Sed veritates eorum objectorum, quæ sunt possiblea divinæ virtuti, non possunt cognosci in decreto actu terminativè ex parte Dei; cum nullam decretum actu liberum Dei ad possiblea terminetur. Ergo veritates illæ conditionatæ non possunt cognosci in illo decreto Thomistico, nec circa tales veritates hujusmodi decreta possunt versari. Ulterius: Quod tales veritates sint conditionales, & conditionatè futuræ, nec extrahit eas ab statu possibilitatis; nec facit, quod Deus modo conditionali, & ut futura cognoscat: Hoc enim, ut diximus, solum provenit ex imperfecto modo cognoscendi intelle-

ctus creati: Aliud quidem est, quod scientia divina cognoscat veritatem propositionis conditionatæ, quam formæ intellectus creatus: Et aliud, quod veritatem illam conditionatè futuram, modo conditionali, & illativo, & secundum modum futuritionis attingat: Hoc, inquam, est falsum; licet primum sit verum. Relinquitur ergo, in illis Thomistarum decretis non contineri, nec ab illis posse causari veritates illas purè conditionatas.

190. Deniquè illud, quod ex suâ Scholâ inducit Magist. Gonet; videlicet decretum illud efficax; conditionatum tamen ex parte objecti, esse causam extrinsecam infallibilis connexionis antecedentis cum consequenti; ac proinde veritatis conditionatæ; eò quòd, positâ tali conditione, decrevit Deus dare gratiam efficacem, per quam Tyrus, & Sydonis infallibiliter, simul & liberè converterentur ad fidem: Plures paritur implicaciones. Tum quia cum hujusmodi gratia efficax consistat in physica prædeterminatione infallibiliter ex naturâ suâ cum illâ Tyrionum conversione connexâ; talis conversio etiam conditionata non posset esse libera; ut in antelaplo Opusculo contrâ ipsum Gonet, & Recentiores Thomistas latissimè, & efficaciter ostendi. Tum quia cum hujusmodi gratia efficax, sive physica prædeterminatio non sit extrinseca; sed intrinseca voluntati creatæ; non solum daretur causa extrinseca illius infallibilis connexionis, & veritatis; sed etiam causa intrinseca; nimirum talis physica prædeterminatio intrinsece, & infallibiliter connexa cum pœnitentiâ Tyrionum; ac proinde aliquod creatum posset Deo esse medium certò cognoscendi res creatas: Quod expresse contradicit totius Divi Thomæ Theologiæ principiis. Et tamen sequela probatur. Quia in medio intrinsece, & ex naturâ suâ connexo cum consequenti, certò, & infallibiliter potest cognosci veritas consequentis. Sed physica illa prædeterminatio ex suâ naturâ essentialiter, & infallibiliter connectitur cum veritate consequentis; videlicet Tyrionum pœnitentiâ. Ergo Deo esset medium certò cognoscendi pœnitentiam illam Tyrionum, &c.

191. Arguitur tertio. Quia futuritio est determinatio in causâ. Ergo implicat, rem aliquam esse sub conditione futuram, nisi causa prima sit ab æterno determinata ad dandam illi existentiam in tempore, aliqua conditio ponatur. Sed talis determinatio est decretum subjectivè absolutum, & objectivè conditionatum. Ergo decreta illa necessarid in Deo admittenda sunt. Confirmatur ex S. Augustino Tract. 68. in

Pluribus implicatur Gonet dicens, quod positâ illi virtutum conditione Deo decrevisse Tyrionis, dare gratiam efficax.

Arguunt, Quia cû futuritio sit determinatio in causâ; illa determinatio est decretum subjectivè absolutum, & objectivè conditionatum. Ergo decreta illa necessarid in Deo admittenda sunt. Tract. 68. in

eretur
absolutè.

68. in Joannem : Deus fecit futura, ea prædestinando. Sed quæ sunt futura solum sub conditione, non prædestinavit absolutè saltem ex parte objecti. Ergo ea prædestinavit dependenter ab aliâ conditione, se ex parte objecti tenente.

Futuriti
igitur cõ-
ditionata
sicut non
dependet
à cõditio-
ne, quæ
absolutè
fit, sic nec
à decreto
quod fit
absolutè.

192. Objectio procedit ex abusu scientiæ conditionatæ, & non satis penetratâ doctrinâ conditionatorum. Respondeo primò quod sicut futuritiõ conditionata non dependet à conditione, quæ absolutè fit; sed solum à conditione, quæ esset; sic non dependet à divino decreto, quod absolutè fit ex parte Dei; sed solum à decreto, quod esset: Si enim veritas futuri, aut effectus conditionati, non requirit existentiam conditionis causæ secundæ, à quâ dependet, sed ut ea infallibiliter salvetur, sufficit causa secunda, quæ esset; certè absque ullo fundamento petitur ad hujusmodi veritatem, quod ex parte Dei actu absolutè existat terminativè decretum illud tamquam causa prima causans talem veritatem.

Veritas
proposi-
tionis cõ-
ditionatæ
solum res-
pectu
nostri ha-
bet ratio-
nem futu-
ritionis,
& condi-
tionalis;
nò autem
respectu
Dei.

193. Respondeo secundò veritatem propositionis conditionatæ, quæ respectu nostri intellectus habet rationem conditionalis, & rationem futuritionis; respectu intellectus divini solum habere rationem certæ, & infallibilis veritatis; quin conditionis, & futuritiõ se habeant ex parte scientiæ Dei. Ratio est. Quia Deus in suâ essentiâ, vel in idæâ, quæ necessariò exprimit, & specularivè representat conversionem v. g. Tyrionum sub illis virtutibus potius, quam non conversionem, &c. Juxta explicationem suprâ datam, & simul sui domini potestatem ad ponendum, vel non ponendum extrâ causas, quod per talem idæam representatur; unico cognoscit intuitu, quod si ei liberit extrâ causas educere, quod in tali idæâ representatur; certò, & infallibiliter erit, aut esset penitentia Tyrionum, quæ est veritas revelata. Relinquitur, quod Deus independenter ab omni decreto certissimè cognoscit omnes veritates contingentium sub conditione futuras absque ullâ conditione, illatione, aut futuritione ex parte scientiæ Dei: Cum ergo hujusmodi scientia sit, quam Jesuitarum Schola uno omnium assensu, licet non unâ omnium explicatione, appellat scientiam conditionatam, sive mediam, duo clarè ex principiis nostris evincuntur: Primum scilicet, scientiam conditionatam, sive mediam non fundari in decreto absoluto, & efficaci ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti; sed esse anteriorem, & omninò independentem à tali decreto. Secundum, talem scientiam saltem reductivè pertinere ad scientiam simplicis intelligen-

tiæ: Cujus abusus (ut vehementer suspicor) ortum duxit ex eo, quod imperfectus modus, quo intellectus noster attingit veritates conditionatè futuras, ad divinam scientiam transferri videtur: Cum reverà nihil aliud sit, quam veritates possibiles actuum liberorum, quos si Deus velit, aut voluisset extrâ produci per suas causas, certissimè essent, sicut certissimè representantur in essentiâ divinâ, sive in idæis talium actuum ex quidditate suâ contingentium, & liberorum; ut sæpius manet explicitum.

194. Ad confirmationem dic, mentem S. Augustini de futuris absolutis malè, & infelicitè detorqueri ad futura conditionata. Certum enim est, omnia absolute futura respectu nostri, determinasse, aut prædestinasse Deum per suum decretum absolutum, cuius terminus semper esse debet aliquid extrâ pro suâ temporis distantia contingentè existens. Ex hoc autem inferri, dare in Deo decreta absoluta actu terminativè, & subjectivè, aut prædestinationem absolutam, & efficacem ex parte Dei circa futura conditionata, quæ ex defectu conditionis nunquam purificandæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquam absolute erunt; est commentitia, & Scholastica quædam imaginatio Sapientissimi Magistri Gonetii, à sensu Magni Augustini omninò abhorrens.

195. Arguit quartò præcitatus Magister. Nihil potest extrahi ab statu meræ possibilitatis ad statum aliquem futuritionis independenter à primo ente, & causalitate ipsius. Sed Deus cum sit agens primum, non aliter operatur, nec extrahit res ad statum aliquem futuritionis, nisi suo decreto illi proportionato mediante. Ergo necesse est, dari in Deo decretum ex parte sui subjectivè absolutum, ratione cuius velit, futura conditionata ab statu meræ possibilitatis extrahere. Confirmatur. Futurum conditionatum habet aliquam actualitatem, quæ non convenit rei merè possibili: Dicit enim ordinem ad existentiam ut habendam dependenter ab aliquâ conditione; à quo præscindit res merè possibilis. Ergo oportet assignari aliquam causam hujus majoris actualitatis, hujusque ordinis ad existentiam sub tali conditione habendam. Sed nulla alia potest esse in Deo, quam decretum absolutum ex parte subjecti, & conditionatum ex parte objecti; cum Deus sit agens liberum, & omnia operetur juxta consilium voluntatis suæ, ut ait Apostolus. Ergo.

196. Distinguo majorem: Nihil potest extrahi ab statu meræ possibilitatis independenter à primo ente, & ab ejus cau-

Mes Au-
gustini de
futuris
absolutis,
infelicitè
detorquetur ad
purè condi-
tionata.

Arguunt
4. Quia
ratione
Thomasti-
fici de-
creti vult
Deus ex-
trahere ab
statu purg
possibilitatis ad
futuritiõ-
nis condi-
tionatæ
cõversio-
nem, &c.

Igitur so-
lum est
opus di-
sali-

vino de-
creto ad
extrahēdā
rē de purē
possibili
ad futuri-
tionem
absolutā.

salitate, ad statum aliquem futuritionis absolutæ, ut existat in suā propriā naturā pro suā temporis differentia; concedo: Ad statum futuritionis solum enuntiatur, & objectivæ, nego suppositum. Quia, ut patet ex dictis, est impossibilis, & imperceptibilis transitus de statu meræ possibilitatis, mediante actuali decreto ex parte Dei, nisi ad statum existentiae realis, & propriæ, aut absolutæ futuritionis respectu nostri. Ratio est primò. Quia quod extrahitur de statu meræ possibilitatis, mediante decreto actualiter operandi, non potest non extrahi, mediante actione divinæ omnipotentis. Sed transitus de statu meræ possibilitatis, mediante actione omnipotentis, ad statum, qui non sit existentiae realis absolutæ; sed solum existentiae objectivæ, intentionalis, & enuntiatur, est planè chymericus, ut supra ostendimus efficaciter. Ergo. Secundò. Quia illud esse objectivum futuritionis conditionatæ, quod causatur à tali decreto, vel est distinctum ab esse objectivo, quod Deus cognoscit scientiā simplicis intelligentiæ in idæā illā expressivā v. g. pœnitentiæ Tyrionum conditionatæ; vel est idem esse objectivum? Si hoc secundum: Ergo pœnitentiæ Tyrionum non extrahitur, nec transit ad statum distinctum. Transitus igitur ex suā ratione formali duos terminos involuit; à quo videlicet, & ad quem; ac proinde postulat duplex esse distinctum; sicut patet de esse possibili, & objectivo, & esse actualis existentiae.

197. Si verò dicatur primum: Contra autē Thomisticum non est causa objecti conditionati in esse physico, nec objectivo.

Quia decretum absolutum ex parte Dei non potest esse causa objecti conditionati, v. g. illius pœnitentiæ conditionatæ, nisi det illi esse objectivum. Sed tale decretum non potest causare tale esse objectivum, & intelligibile distinctum ab illo esse objectivo possibili. Ergo. Major patet. Tum quia causare aliquid, est dare illi aliquid esse: Tum quia impossibile est, quod Petrus causet objectum sui in speculo, quin producat speciem sui tamquam medium, in quo Petrus habeat esse objectivum, & intentionale, ut experientia ostendit. Minor probatur efficaciter. Quia nulla res potest habere esse objectivum, & intentionale, nisi in aliquo medio, in quo representetur. Sed per decretum liberum Dei nullum medium causatur, in quo pœnitentiæ illa purè conditionata cognoscatur. Ergo. Major constat. Quia, ut sæpè probavimus ex Divo Thomā, res vel habent esse proprium suæ naturæ in se ipsis, vel habent esse objectivum, & intentionale in aliquo medio, in quo cognoscuntur. Minor verò probatur. Quia illud medium, in quo cognoscitur

à Deo pœnitentiæ illa purè conditionata, vel est aliquid divinum, vel aliquid creatum? Non primum: Tum quia per decretum liberum Dei nulla perfectio divina causatur. Tum quia quod causatur per decretum liberum Dei, est formaliter contingens; ac proinde potens esse, & non esse, quocumque modo, aut ratione causetur. Sed nulla perfectio divina est formaliter contingens, nec potens esse, & non esse. Ergo tale medium non potest esse aliquid divinum, nec perfectio. Sed nec primum dici valet. Tum quia medium creatum distinctum à Deo, quod non existat in propriā suā naturā realiter, habitus non est à Theologis excogitatum. Tum quia inter esse, quod res habent in mente divinā, & esse, quod res habent in se ipsis in suā propriā naturā absolute existentibus, nec S. Thomas, nec Sancti Patres invenerunt medium. Tum quia illud medium creatum causatum per tale decretum, esset similitudo aliqua creata, in quā pœnitentiæ illa conditionata cognosceretur. Ergo esset aliquid exemplar aut idæa creata. Atqui Deus in medio creato, aut idæa creatā non potest cognoscere veritates creatas, ut ex communi Theologia Thomistica Schola fateretur. Ergo tale medium creatum causatum per decretum liberum Dei, est chymericum. Ergo imperceptibile est, objecta purè conditionata causari verè, & propriè in esse objectivo per illa decreta. Ergo imperceptibile est, objecta purè conditionata vi decreti absoluti extrahi, & transire de statu meræ possibilitatis ad alium statum futuritionis conditionatæ, ab statu possibili condistinctum, & inter hunc, & statum realis, & propriæ existentiae omnino medium. Ex quibus patet ad reliqua argumenti.

198. Ad confirmationem nego absolute antecedens, & omnia, quæ ex eo, falso præiudicio laborans subintalit Gonet. Quia cum futuritio illa purè conditionata non sit absoluta; sed solum certò, & infallibiliter enunciata, non habet aliam actualitatem objectivam, præter illam, quam Deus in suā essentiā cognoscit, sive in idæā cuiuscumque objecti conditionati independenter ab omni decreto absoluto ex parte Dei: Sicut enim artifex contemplanus in idæā, quam de aliqua domo formavit, ordinem, & illius dispositionem, independenter à proposito illam opere externo exequendi, vel etiam si noller eam extrā fabricare, verè enuntiaret in tali casu: *Si vellem domum, quam objectivè in idæā formavi, extrā construere, illa esset octangula; hanc, vel illam dispositionem haberet: Quin opus illi esset habere decretum, quod diceret: Volo sub tali conditione, quod talis domus.*

domus sit octangula; hæc, vel illâ formâ disposita: Esset enim, ut supra dicebam, talis conditionata volitio omnino supervacua, & prorsus ridicula:

Et probò
inutilitatem
illius divini
decreti à
paritate
artificis
creati.

199. Sic igitur Deus, qui necessario habet, ut supremus artifex, omnium actuum liberorum, & contingentium ideas; in idea, quâ cognoscit penitentiam Tyriorum sub virtutibus, & miraculis Christi Domini certò possibilem potius, quam eorum impoenitentiam, certò, & infallibiliter cognoscit hæc duo: Primum, à potestate, & sui domini plenitudine pendere, quod talis penitentia præcognita sit, vel non sit pro suâ differentiâ temporis exitura extrâ suas causas: Secundum, quod si eam vellet extra producere, Tyrii, & Sydonii certò, & infallibiliter penitentiam egissent. Et ratio est. Quia cum talis futuritio sub illâ conditione non sit absoluta, sed solum enunciata, ad infallibilem connexionem, & veritatem illius, non est necessarium, quod talis penitentia sic cognita extrahatur de suo possibilitatis statu ad aliam actualitatem objectivam formaliter contingentem, & mediam inter statum suæ possibilitatis, & realis existentie in suâ propriâ naturâ: Talis enim actualitas media objectivè existens, si stemus doctrinâ Magistri Angelici, & veræ Theologiæ principiis, inintelligibilis, & inexplicabilis est. Unde falso asserit citatus Magister, actualitatem illam objectivam futuritionis conditionatâ, sive illius veritatis conditionalis in ordine ad existentiam sub conditione habendam, non convenire rei merè possibili. Tum quia, ut expressè docuit S. Thomas ubi supra, quæ nunquam fuerunt, nec sunt, nec erunt, sunt absolute possibilia divinæ virtuti. Sed purè conditionata, de quibus nunc loquimur, nec fuerunt, nec sunt, nec erunt. Ergo virtuti divinæ sunt absolute possibilia. Ergo purè conditionata nec extrahuntur ab statu puræ possibilitatis; nec ordo illorum ad existentiam sub conditione habendam, tollit, quominus veritas conditionata rei merè possibili conveniat.

Replicas.
Veritas
revelata
est de
penitentiâ
Tyriorum,
quæ
determinatè
esset,
non quæ
est possi-
bilis esse,
& non esse.

200. Replicabis. Penitentia Tyri, & Sydonis adhuc sub illis virtutibus, & miraculis Christi Domini, est, aut fuit possibilis esse, & non esse. Sed veritas revelata in Evangelio, non est de penitentia Tyriorum, quæ erat possibilis esse, & non esse; sed de penitentia, quæ sub illis virtutibus certò, & determinatè esset. Ergo veritas de tali penitentia sub illâ conditione revelatâ, habet aliquam actualitatem saltem objectivam, quæ non convenit possibili penitentia præscindit ab illâ actualitate sub conditione futu-

Theol.

râ. Cum ergo id ipsum contingat in omnibus veritatibus purè conditionatis, de quibus est disputatio, opus est, assignare aliquam eorum causam; & medium, in quo certò cognoscantur. Nulla autem alia est excogitabilis præter decretum absolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Ergo talia decreta sunt Deo necessario concedenda.

201. Consultò equidem hujus replicationis ratiocinium efformavi, ut æquivocationem, quâ in hæc materiâ Recentiores Thomistæ, & alii omnino plures laborant, detegerem. Unde in formâ distinguo majorem: est, & fuit possibilis esse, & non esse, possibilitate, & indifferentiâ absolutâ suæ causæ, concedo: Possibilitate conditionatâ, & ex suppositione, nego majorem. Quia res dum est sive in esse objectivo, sive in esse reali, & proprio suæ naturæ, necesse est esse, non necessitate absolutâ; sed conditionatâ, & ex suppositione. Res declaratur. Duplici igitur modo possumus considerare, penitentiam Tyriorum esse possibilem: Primò in suâ causâ cum omnibus illis virtutibus, miraculis, & quibuscumque aliis principiiis, ex suâ quidditate, & naturâ indifferenti ad utrumlibet; hoc autem modo penitentia illa est, & fuit possibilis esse, & non esse tam objectivè, quam realiter in suâ propriâ naturâ; quin de illâ possit sub tali medio enunciari adhuc conditionatè, quod sub illis virtutibus determinatè esset, nec quod determinatè non esset; sed solum quod erat possibilis esse, & non esse. Secundo modo illa Tyriorum penitentia potest considerari ex suppositione determinationis voluntatis: Cum enim licet voluntas cum illis virtutibus, & reliquis principiiis sit indifferens ad utrumlibet contradictionis extremum, & pro ejuslibet unum ex illis præeligere debeat; supposito jam, quod penitentiam, aut conversionem elegerit, talis conversio jam non erit possibilis esse, & non esse; sed determinatè est, aut pro suâ differentiâ temporis in illis circumstantiis, & rerum serie determinatè fuisset. Quod quidem explicari potest; adducto exemplo ex Antichristi peccato, in hoc divinæ providentiæ præsentis ordine. Peccatum etenim Antichristi si consideretur comparativè ad suam causam liberam omnibus principiiis instructam, est absolute contingens, & possibile, ut sit, & non sit: Quia cum voluntas sit indifferens cum potestate ad peccandum, & non peccandum, nullam cum peccato dicit connexionem. Si verò comparetur ad illam temporis differentiam, in quâ Antichristus liberè peccabit; ex hæc liberè determinationis suppositione, peccatum Anti-

Respon-
deo, du-
pliciter
considera-
do Tyrio-
rum peni-
tentiam
possibilem;
1. in suâ
causâ: 2.
ex suppo-
sitione.

Antichristi

O

Christi

christi non est possibile esse, & non esse; sed certo, & determinatè est respectu nostri absolutè futurum, ex divinà revelatione: Quamvis, ut supra notavimus cum S. Thomà, & Boëtio prælad. 4. proposuit. 5. per totam, respectu scientiæ Dei sit præsens.

202. Ex his, ut ad punctum difficultatis proprius accedamus, discursum nostrum in ipsum usque Deum elevari, necesse est. Constat igitur primò ex dictis, essentiam divinam ut infinitè imitabilem à creaturis, esse medium cognoscendi omnes creaturas posibles in quocumque rerum ordine, quem velit eis voluntas divina præfigere. Constat secundò. Secundùm diversitatem rerum, à quibus essentia divina imitabilis est, diversas quoque idæas designari à Sanctis Augustino, Thomà, & aliis Patribus in ipso Deo; ut tenet communis Theologiã: Non quia diversitas, & pluralitas rationum, sive idæarum sit ex parte divinæ essentiæ: Sed quia nostrum modo concipiendi habito fundamento tum ex summâ divinæ naturæ perfectione, tum ex imperfectione nostri intellectûs, tum ex varietate, & diversitate rerum propter diversas habitudines, quibus divinam essentiam concipimus imitabilem à creaturis, & in ordine ad illas, istarum rationes, & idæas multiplicamus; ita, ut essentia divina quatenus imitabilis ab Angelo, & similitudine expressa illius, sit ratio, aut idæa Angeli; & quatenus imitabilis ab homine, & exemplar istius expressivum, sit idæa hominis; & sic de reliquis. Constat tertio dari idæas in Deo, in quibus certò cognoscit causas liberas, & contingentes secundùm earum quidditates, & conditiones, cum omnibus suis comprinciis, & requisitis ad operandum, vel quibus possint operari, & non operari, juxta modum, & naturam ipsarum in quibuscumque circumstantiis, & occasionibus possibiliibus.

203. Sisto hinc tantisper, & rogo primò an in hujusmodi idæis, in quibus Deus præcisè præcognoscit causas liberas cum suis comprinciis, certò cognoscat adhuc ut possibilem aliquem actum liberum determinatè potius, quàm alium? Respondendum est negativè, propter rationem supra tactam: Quia in medio, in quo solum exprimitur, & assimilatur causa libera cum indifferentia ad utrumlibet contradictionis extremum, non potest Deus certò, & infallibiliter cognoscere unum extremum determinatè præ alio. Sed quælibet ex prædictis idæis est medium expressivum causæ liberæ sub omnibus ejus comprinciis cum indifferentiâ ad utrumlibet contradictionis extremum. Ergo in tali ratione, sive idæa non potest Deus

certò, & infallibiliter cognoscere adhuc possibile unum extremum determinatè potius, quàm alium; v. g. conversionem Divi Pauli, potius, quàm non conversionem.

204. Rogo secundò quo pacto Deus in hujusmodi idæis cognoscat operationes, sive actus liberos talium causarum? Et certò respondendum est, Deum in hujusmodi idæis cognoscere actus liberos absolutè posibles possibilitate in causâ; non verò posibles possibilitate ex parte unius operationis, sive actus liberi determinatè potius, quàm alterius, propter rationem nuper dictam. Quia in medio, in quo solum cognoscitur causa libera cum indifferentiâ ad utrumlibet, non potest cognoscere alterum extremum determinatè possibile ex parte sui potius, quàm alterius; sed solum possibile in suâ causâ. Rogo tertio an in hujusmodi idæis possit Deus certò cognoscere veritates conditionatas futurorum contingentium, sive quæ revelantur in scripturis, sive quæ nostro intellectu formari solent? Et similiter certò respondendum est negativè. Ratio est. Quia in hujusmodi veritatibus, & propositionibus conditionalibus semper verificatur, & enunciatur sub aliqua conditione operatio determinata voluntatis creatæ; qualis est illa; *Si facta fuissent in Tyro, & Sydone virtutes, &c. penitentiam eissent.* Sed nulla ex his veritatibus sub conditione futuris potest præcognosci à Deo in talibus idæis. Ergo. Major patet. Minor verò probatur primò. Quia hujusmodi veritates conditionatæ dicunt infallibilem connexionem cum conditione, sub quâ enuntiantur, & supponuntur certò futuræ. Sed in medio, in quo solum cognoscuntur operationes liberæ posibles solum possibilitate in causâ; non potest certò, & infallibiliter cognosci connexio voluntatis, neque alicujus comprinciis sive conditionis cum operatione aliqua liberâ determinatè. Ergo. Major constat. Minor probatur. Quia in ratione illâ, sive idæa, in quâ solum representantur, & cognoscuntur voluntas Tyriorum, & virtutes cum aliis comprinciis; consideratâ naturâ, & quidditate cum voluntatis Tyriorum, tum illarum virtutum, sive cujuscumque alterius comprinciis, nulla est connexio. Cum conversione determinatè potius, quàm cum non conversione; alias conversio, aut penitentia Tyriorum non esset libera; cum antecedens connexum ex parte causæ cum consequenti, necessariò inferat necessitate absolutâ causâ ipsam consequens, ac proinde consequentis libertatem everat. Ergo in tali idæa non potest cognosci infallibilis illarum virtutum cum Tyriorum penitentia connexio.

205. Pro-

Effici
ratione
assumpti
ultra pro-
moveo.

205. Probatur secundò illa minor primi syllogismi. Quia quæcumque Deus certò prænoscit in suis ideis speculativè cognitione, sive scientiâ simplicis intelligentiæ, potest pro suo libitò determinare, aut præfinire in ordine ad futuritionem, sive existentiam absolutam. Sed ex vi eorum, quæ representantur, & cognoscuntur in ideis causarum liberarum cum suis virtutibus, & comprinciipiis indifferentibus ad utrumlibet, non potest Deus determinare, nec præfinire existentiam, aut futuritionem absolutam unius actûs liberi præ alio; v. g. conversionem liberam potius, quam non conversionem. Ergo ideo est, quia Deus in hujusmodi ideis non cognoscit actum liberum, sive conversionem determinatè possibilem potius, quam non conversionem. Major constat. Minore probò. Tum quia quod non cognoscitur determinatè possibile, non potest à Deo determinatè præfiniri in ordine ad existentiam. Tum quia si Deus posset præfinire existentiam absolutam conversionis potius, quam non conversionis, cæco modo, & absque certâ providentiâ procederet; cum in illis ideis non prænoscat conversionem determinatè possibilem potius, quam non conversionem; sed solum utrumque extremum possibile possibilitate in causâ ex quidditate suâ indifferenti ad utrumlibet, ut probatur est. Hujusmodi ergo præfinitio absque certâ, & infallibili cognitione objecti præfinito, est impossibilis, & prorsus indigna sapientissimo, & supremo artifice: Tum quia aut tolleret libertatem causæ, quam præcognoscit indifferentem ex suâ naturâ, ac quidditate ad operandum, & non operandum, ne frustraretur ejus absoluta, & efficax præfinitio: Aut saltem ex eventu operationis, aut non operationis in statu existentia absolute penderet frustrari, aut non frustrari ejus decretum præfinitivum: Quæ contingentia respectu divinæ voluntatis absurda est. Ergo ex vi eorum, quæ in hujusmodi ideis causarum liberarum præcisè prænoscit Deus, non potest determinare, & præfinire in ordine ad absolutam existentiam, conversionem potius, quam non conversionem, nec aliquam liberam operationem determinatè potius; quam ejus oppositum.

Scientia
Dei ita
causas li-
beras, &
in illis
possibiles
earum actus
cognos-
cens, est
simplicis,
& absolu-

206. Rogo quartò quo pacto, aut nomine sit nuncupanda scientia illa, sive speculativa cognitio, quâ independenter ab omni decreto prænoscit Deus in hujusmodi ideis causas liberas cum omnibus virtutibus, & comprinciipiis indifferentibus ad utrumlibet, ac proinde earum actus liberos solum posibles, possibilitate in causâ? Facile respondeo ex communi Theo-

Theol.

logiâ, hanc scientiam rectè, dici, & appellari simplicis, & absolute intelligentiæ. In quo nec inter Doctores, nec inter utramque Scholam; Thomisticam scilicet, & Jesuiticam potest de re aliquid formari dissidium. Ex his discursum promoveamus.

207. Constat ergo quartò ex his, quæ In essentia divina ut-
potè non
solum à
causis li-
beris; sed
ab earum
actibus
imitabili,
horâ dan-
tur idææ,
in quibus
Deus illos
hunc præ-
alio de-
terminatè
cognoscit

fusiori calamo supra ostendimus, esse etiam in Deo rationes, & idæas, in quibus cognoscuntur à Deo determinatè posibles omnes operationes liberæ causarum contingentium, & liberarum; ac proinde causæ liberæ objectivè, & representativè, sive intentionaliter, cum suis actibus, & liberis operationibus conjunctæ. Hæc illatio, præter jam dicta, potest breviter probari primò. Quia alia est veritas causæ liberæ cum omnibus suis comprinciipiis quidditativè indifferentibus ad utrumlibet; vel (ut alii communiter dicunt) causæ in actu primo proximo (nam sub hoc actu voluntas etiam est proximè libera, & indifferens ad utrumlibet, ut efficaciter ostendimus contra Magist. Gonetum citato Opusculo de divinâ motione:) Et alia est veritas causæ liberæ actu operantis hunc potius actum, quam alium. Sed juxtâ diversitatem veritatum, & objectorum diversas idæas ponimus in Deo, ut supra notavi. Ergo. Secundò. Quia essentia divina non solum est imitabilis à causis liberis, & contingentibus; sed etiam ab earum operationibus liberis. Sed propter diversas habitudines, quibus est imitabilis à creaturis, ponuntur diverse quoque idææ, & rationes in Deo. Ergo.

208. Tertio. Quia loquendo de divinis ideis practicè sumptis, quæ respiciunt statum absolutum existentia rerum, non solum dantur idææ practicæ, in quibus cognoscuntur causæ liberæ, & contingentes cum omnibus virtutibus, & comprinciipiis indifferentes ad operandum, vel non operandum; volendum; & non volendum, secundum propriam naturam, & existentiam realem: Sed etiam conceduntur idææ practicæ, in quibus, posito decreto absoluto, certò cognoscuntur operationes liberæ, & contingentia absolute futura, ita, ut juxtâ uniuscujusque idæam, & rationem certissimè prænoscat; v. g. conversionem Magdalena potius, quam non conversionem; Antichristi peccatum absolute, & determinatè futurum potius, quam rectam ejusdem operationem. Sed idææ, quæ per decretum absolutum, & præfinitivum Dei dicuntur practicæ, ante decretum sunt speculativæ; ut est supra probatum cum Sancto Thomâ: Et res, quæ per comparisonem ad idæas practicas, & scientiam visionis dicuntur abso-

Efficiet-
bus ratio-
nibus in-
tentum
firmo.

Intelli-
gentiæ
causis li-
beris; sed
ab earum
actibus
imitabili,
horâ dan-
tur idææ,
in quibus
Deus illos
hunc præ-
alio de-
terminatè
cognoscit

lutè futuræ; comparativè ad idæas speculativè sumptas dicuntur possibiles. Ergo sicut per scientiam visionis, posito decreto absoluto, in idæâ practicâ expressivâ conversionis Divæ Magdalenæ, certissimè cognoscit ab æterno ejus conversionem absolutè futuram determinatè potiùs, quàm non conversionem: Sic in idæâ speculativè sumptâ ante tale decretum prænovit Deus talem conversionem determinatè possibilem potiùs, quàm non conversionem. Pater consequentia. Quia conversio S. Magdalenæ (sicut & qualibet res absolutè futura) eo modo, quo fuit futura per decretum, & suas causas, eo modo ante decretum fuit possibilis: Et eo pacto, quo Deus illam cognovit, posito decreto certò absolutè futuram scientiâ, aut cognitione practicâ; sic ante decretum certò prænovit illam scientiâ, aut cognitione speculativâ determinatè possibilem. Tunc sic. Sed S. Magdalenæ conversio fuit determinatè futura potiùs, quàm non conversio; & Deus eam cognitione, & scientiâ practicâ prænovit determinatè, & certò futuram potiùs, quàm non conversionem. Ergo Deus scientiâ, & cognitione speculativâ ante omne decretum prænovit talem conversionem determinatè possibilem potiùs, quàm non conversionem. Ergo necesse est, concedere hujusmodi idæas speculativè sumptas, in quibus Deus cognoscat operationes, & actus liberos determinatè possibiles potiùs, quàm eorum contrarios.

209. Quartò. Quia licèt tales actus ut possibiles possibilitate in causâ, non sint determinatè; sed indifferenter possibiles, juxtâ naturam, & quidditatem causarum indifferendum; at in actu secundo non sunt compossibiles propter simultaneam eorum oppositionem; sicut patet de illis in statu futuritionis, & existentie absolutæ. Ergo necesse est, eis assignari idæas, in quibus divisim, & absque ullâ contradictione, Deus eos certò prænoscat ut determinatè possibiles. Quintò. Quia nisi hujusmodi idææ speculativæ admittantur in Deo; non datur modus, quo Deus certò comprehendat omnes operationes liberas, & contingentes determinatè possibiles; sicut comprehendit operationes liberas determinatè futuras: Quod quidem infinita scientiæ Dei maximè derogaret.

210. Ex quibus omnibus clarè evincitur primò possibilitatem cujuscumque operationis liberæ in causâ præscindere ab omni futuritione infallibili sive absolutâ; sive conditionatâ: Quia hæc dependet à determinatione causæ, & ex suppositione illius dependet veritas determinata, illis postis requisitis. Evincitur secundo

Igitur
possibilitas
liberæ
operatio-
nis in
causâ præ-
scindit ab
omni de-
terminatâ
futuritione.

idæam illam, quæ est medium præcisè cognoscendi causam liberam cum omnibus virtutibus, & prærequisitis indifferenter ex quidditate suâ ad utrumlibet actum, & in quâ uterque actus solum cognoscitur possibilis possibilitate in causâ, nostro modo cognoscendi quasi præscindere ab eo, quod exprimat, & repræsentet aliquem actum determinatè possibilem præ alio; ac proinde præscindere etiam à futuritione conditionatâ unius extremi præ alio, propter rationes indicatas. Evincitur tertio possibilitatem operationis liberæ potiùs, quàm ejus oppositi, quam, diximus, Deum certò prænoscere in idæis, quæ determinatè repræsentant causas liberas in actu secundo possibili, sive ejus operationes determinatè possibiles; nullo modo præscindere à futuritione conditionatâ talium operationum, neque à veritatibus purè, & speculativè conditionatis, quæ vel revelatæ sunt, vel à nobis formari possunt, juxtâ à nobis dicta. Ratio est. Quia Deus cognoscendo ante omne decretum in unâ idæâ conversionem v. g. Divi Petri determinatè possibilem, potiùs, quàm ejus non conversionem; & in idæâ illâ Tyri, & Sydonis sub illis virtutibus pœnitentiam Tyriorum determinatè possibilem potiùs, quàm non pœnitentiam; & sic de omnibus illis idæis, in quibus, ut jam probatum est, scientiâ, & cognitione speculativâ Dei cognoscuntur objectivè omnes actus liberi, & contingentes determinatè possibiles, ac proinde omnes causæ liberæ in actu secundo repræsentativè juxtâ varias circumstantias, & series rerum possibiles; absque dubio, & omni certitudine simul cognoscit Deus, se esse perfectissimè liberum, plenissimamque potestatem habere ad manifestandum, & extrâ producendum ea omnia, quæ in hujusmodi idæis cognoscit. Ergo certò, & infallibiliter prænoscat, quod si juxtâ suæ divinæ voluntatis consilium velit mundum creare, & S. Petrum constituere in circumstantiis, in quibus prævidet suam conversionem determinatè possibilem potiùs, quàm oppositum; & similiter Tyrios, & Sydonios, &c. Petrus, Tyrii, & Sydonii certissimè convertentur. Quæ omnia, & hujusmodi alia infallibiliter prænoscat Deus, non modo illativo, & conditionato; sed unico, & simplici intuitu; licèt nos, quæ Deus sic cognoscit, non possumus intelligere, & explicare, nisi per discursum illationis conditionatæ, ut supra manet expositum. Subsumo jam. Sed ex eo, quod Deus hoc modo certò, & infallibiliter cognoscat omnes actus, & operationes liberas determinatè possibiles, non potest non cognoscere certò omnes, veri-

veri-

veritates conditionatas, quæ revelatae sunt, & quæ passim formantur à nobis ad explicandum rectum divinæ providentiæ, & prædestinationis ordinem, & cum eisdem nostri liberi arbitrii concordiam. Ergo possibilitas illa determinata actu liberorum, & contingentium non præcendit ab eorum conditionatâ futuritione: Cum idem omnino sit, Deum cognoscere in suis idæis operationes liberas determinatè possibilis, ac veritates conditionatas, quæ ex eis certò, & infallibiliter inferuntur.

Explico, quo pacto operationes libere in suis idæis præcognita ante decretum, possint esse, & non esse

211. Dices. Operationes libere etiam præcognita in suis idæis, possunt esse, & non esse; cum cognoscantur ante omne decretum. Sed quod potest esse, & non esse, non est conditionatè futurum potius, quàm non futurum. Ergo Deus non potest in earum idæis illas conditionatè futuras, ac proinde nec veritates conditionatas cognoscere. Distinguo majorem: Possunt esse, & non esse possibilitate in causâ tantum, nego: Possunt esse, & non esse possibilitate determinatâ unius operationis præ aliâ, concedo majorem, & distinguo minorem: Quod potest esse, & non esse possibilitate absolutâ, & in causâ, non est conditionatè futurum potius, quàm non futurum, concedo: Quod potest esse, & non esse possibilitate determinatâ, & ex suppositione, subdividuo: non est absolutè futurum potius, quàm non absolutè futurum, concedo: non est conditionatè futurum potius, quàm non conditionatè futurum, nego minorem. Ratio disparitatis est, & etiam solutionis. Quia quod sint absolutè futuræ operationes libere, quas Deus in suis idæis præcognoscit determinatè possibilis, pendet ex absoluto Dei decreto: Et ideo cum ante omne decretum cognoscantur determinatè possibilis scientiâ, & cognitione speculativâ, Deus non potest eas cognoscere nec respectu sui ut existentes, & præsentis, nec respectu nostri ut absolutè futuras, nec ut non futuras absolutè. At verò quod operationes libere determinatè possibilis sint conditionatè futuræ, non pendet ab ullo decreto terminativè ex parte Dei, sed solum ab eo, quod cognoscat se esse liberæ, & infinitæ potestatis; & simul conversionem Tyriorum sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis; & conversionem S. Petri esse determinatè possibilis potius, quàm ipsorum non conversiones: Vi cujus certissimæ cognitionis non potest Deus non cognoscere unico, & simplicissimo intuitu, quod si velit constituere S. Petrum, Tyrios, & Sydonios in illis circumstantiis, certissimè convertentur. Ex quo fit, utriusque conversionis veritatem conditionatè futuram, pertinere ad scien-

tiam, & cognitionem speculativam Dei: Hoc solum discrimine, quod veritas conversionis Beati Petri per decretum absolutum, & efficax Dei quasi pertransit de determinatè possibili, sive conditionatè futura, ad esse existentie propriæ naturæ, sive futuritionis absolutæ: Secus autem conversio determinatè possibilis, sive conditionatè futura Tyri, & Sydonis, quæ ex placito divinæ voluntatis nolentis eam extrahere ab illo statu suæ determinatæ possibilitatis, sive futuritionis conditionatæ, ad absolutæ existentie, sive futuritionis statum; solum permansit, & permanet in statu determinatè possibilis, sive futuritionis conditionatæ; ut supra satis manet expositum.

212. Evincitur quartò. Scientiam illam, sive speculativam cognitionem, quâ Deus in idæis operationum liberarum certò cognoscit eas ut determinatè possibilis, ac proinde conditionatè futuras, esse scientiam conditionatam, sive mediam, quam independentè ab omni decreto ex parte Dei universim Societatis Doctores propugnant, licet sub variis, & diversis explicationibus, in quibus unusquisque suo sensu abundavit; nos verò præsentì explicationi ex Magno Augustino, & Angelico Thomâ depromptæ, meritò, & fidenter insistimus: Et nomen scientiæ conditionatæ, & mediæ non incongruè à nostris Doctoribus ei adaptari, iterum firmamus, primò. Quia ex diversitate objectorum, & veritatum, nostro modo intelligendi diversificantur scientiæ in Deo. Sed in idæis, aut rationibus actu liberorum determinatè possibilium, alio modo cognoscuntur actus liberi, ac in idæis, in quibus præcisè cognoscuntur causæ libere cum omnibus suis comprinciipiis, & requisitis. Ergo nostro modo intelligendi rectè potest diversa scientia constitui. Major constat. Minor verò probatur. Quia in idæis causarum contingentium præcisè, solum cognoscuntur actus liberi possibilis possibilitate in causâ; in rationibus verò, & idæis, in quibus cognoscuntur tales actus liberi, repræsentantur determinatè possibilis, ac proinde conditionatè futuri; ut ostensum est. Ergo scientia, quâ Deus certò cognoscit actus liberos determinatè possibilis potius, quàm eorum oppositum; distincta est nostro modo intelligendi à scientiâ, quâ tales actus liberos solum cognoscit possibilis possibilitate in causâ. At ex dictis constat, idem esse cognoscere actus liberos determinatè possibilis, ac eos præcognoscere conditionatè futuros. Ergo scientia attingens hujusmodi futura conditionata, ex diversâ habitudine ad objectum conditionatum rectè dicitur conditionata. Totus discursus

Scientia, quâ Deus in idæis actu liberorum, eos cognoscit ut determinatè possibilis, est scientia mediæ. Ex multis probatur.

cum

cum subsumptâ minori pater. Quia, ut dictum est cum S. Thomâ, purè conditionata, de quibus disputamus, sunt in statu determinatè possibilium, nec de illo transeunt nisi per decretum absolutum, & efficacem, ad statum absolutæ sive existentiae, sive futuritionis.

213. Secundò. Quia hæc scientia respectu actuum liberorum determinatè possibilium, & sub conditione futurorum, mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognoscit tales actus liberos certò posibles possibilitate in causâ in ideis causarum; & inter scientiam visionis absolutæ, quâ solum cognoscuntur existentia, & absolutè futura. Et ratio hujus est. Quia medium certò cognoscendi actus liberos determinatè posibles, sive conditionatè futuros, sunt idæe rationale actuum determinatè possibilium. Sed hujusmodi idæe mediant inter illas idæes, sive rationes, in quibus tales actus cognoscuntur solum purè posibles possibilitate in causâ quidditative indifferenti, & nondum determinatâ, adhuc per similitudinem, & in repræsentando; & inter idæes practicè sumptas, in quibus Deus certò cognoscit res existentes, & absolutè futuras. Ergo scientia, quâ Deus in tali medio cognoscit futura contingentia conditionata, non absque re, à controversiâ Sapientissimi Molinæ ad hæc usque tempora scientiæ mediæ nomenclaturâ insignitur. Tertiò. Quia hæc scientia conditionata, & media cum sit independens à decreto actu ex parte Dei, illoque anterior, potius est dicenda scientia naturalis, quam libera; ac proinde reductivè pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ versatur circâ possible, à quorum statu non extrahuntur purè conditionata, nisi sequatur absolutum Dei decretum, quod ea ordinet ad absolutam existentiam in suâ propriâ naturâ. Ita noster insignis Theologus Molina 1. par. quæst. 14. art. 13. disput. 17. dicens ibi: *Sciscitabitur fortè aliquis, an hujusmodi scientia media appellanda sit libera, vel naturalis? Ad quod in primis respondendum est, eam nullâ ratione esse dicendam liberam; tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis divinæ; Tum quia in potestate Dei non fuit scire per eam scientiam aliud, quam re ipsâ sciverit; ac proinde cum naturali, ut distinguitur contra liberam, erit annumeranda. Hæc in hoc puncto Princeps Jesuitarum Theologus.*

In Gonet 214. His ita; cum præster temperatè agere, stylumque asperum à viro docto cohibendum, Theologica ratio suadeat; pendat Lector, si Sapientissimi Gonetii Theologiæ clypeum versavit; quo jure hic Magister stomachatus fuerit contra scientiam mediam Jesuitarum; cum Re-

centiores Thomistæ præter ea, quæ, ut constat ex rationibus supra formatis, male recocta deglutire tenentur, coacti sunt sequentia defendere primum; dari scientiam mediam visionis. Ratio est. Quia scientia conditionata cum in eorum sententiâ non sit anterior; sed posterior decreto absoluto ex parte Dei, non potest dici scientia naturalis simplicis intelligentiæ. Sed nec potest dici scientia absoluta visionis, sive approbationis; cum hæc solum versetur circâ objecta absolutè futura. Ergo erit scientia media visionis conditionatæ; eò quòd mediet inter scientiam naturalem simplicis intelligentiæ, & scientiam absolutam visionis. Paret consequentia. Quia ex objecto conditionato, quod nec est objectum simplicis intelligentiæ in eorum Scholâ, nec est objectum scientiæ visionis absolutæ, ab ipsis talis scientia dicitur conditionata. Sed tale objectum conditionatum in eorum etiam sententiâ est medium inter objectum simplicis intelligentiæ, & objectum scientiæ visionis absolutæ. Ergo propter eandem rationem ex objecto illo medio talis scientia, si stemus connexioni doctrinæ, erit scientia media visionis. Secundum: Dari in Deo voluntatem divinam mediam. Ratio est. Quia inter scientiam simplicis intelligentiæ, & voluntatem efficacem prædeterminantem actus liberos absolutè futuros, mediat illa voluntas, actu subjective ex parte Dei, sive decretum prædeterminans actus liberos conditionatè futuros. Ergo in sententiâ Thomistarum non solum est in Deo scientia media; sed voluntas media.

215. Tertium: Dari in Deo libertatem actualem terminativè; idæes etiam practicè medias. Utrumque ostenditur. Quia inter scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, & decretum absolutum, & efficacem tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, mediat aliud decretum actu liberum ex parte Dei, quod est causa futuri contingentis conditionati; & consequenter idæa practica medians inter absolutè practicas rerum absolutè existentium: Eo enim ipso, quod mediet causa libera subjective objecti conditionati, consequenter mediare debet idæa practica, ad cujus exemplar causarum fuerit tale objectum conditionatum. Ergo. Quartum: Concedendam esse etiam in Deo omnipotentiam mediam, & creationem mediam actu ex parte Dei. Cujus etiam est ratio. Tum quia implicat, quod datur in Deo decretum absolutè prædeterminans aliquod objectum tam ex parte subjecti, quam ex parte ipsius objecti, quin per tale decretum absolutè determinetur omnipotentia Dei ad dandum esse pro sua tempo-

temporis differentiâ tali objecto, five termino. Ergo proportionis & paritatis consequentiâ servatâ, implicabit etiam, quod detur decretum actu liberum ex parte Dei, quod sit causa libera objecti conditionati, quin eodem modo, & eadem proportione determinetur Omnipotentia Dei ad dandum esse conditionatum tali objecto vi talis decreti. Hoc autem ut probatum est, est voluntas media. Ergo dabitur Omnipotentia media.

216. Tum etiam quia Divus Thomas lib. 2. contra Gentes, cap. 23. expressè asserit, actionem quâ Deus operatur ad extra, pertinere ad intellectionem, & volitionem liberam, dum num. 4. sic ait: ibi, *Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ sunt in agente; cum sua actio sit sua substantia, ut in 1. ostensum est: Oportet igitur, quod sit de genere illarum actionum, quæ sunt in agente, & sunt quasi perfectio ipsius: huiusmodi autem non sunt, nisi actiones cognoscens, & appetens: Deus igitur cognoscendo, & volendo agit & operatur: non igitur per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis.* Hæc Sanctus Doctor. Tum sic. Volitio divina Dei est actio, quâ Deus operatur ad extra, propter rationes, quas in prædictis verbis, & toto illo Capite tangit Angelicus. Sed datur volitio libera actu subjectivè ex parte Dei, & conditionatè ex parte objecti, quæ sit media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & decretum prædeterminans tam subjectivè, quàm objectivè. Ergo etiam actio Dei media ad extra circa objectum, & terminum purè conditionatum. Hæc cursim, & veluti summo vertice dixerim, ut omnibus innotescat, pro unâ scientiâ conditionatâ, quam Doctores Societatis mediam, invitis, & repugnantibus Thomistis proclamant; vi consequentiæ & doctrinæ connexionem piam, juxta ac sapientissimam ipsorum Thomistarum-Scholam teneri concedere in Deo scientiam non solum conditionatam; sed & mediam posteriorem decreto, voluntatem divinam mediam, omnipotentiam mediam, actionem creativam mediam; imò ens aliquod medium liberè productum à Deo, quale est objectum purè conditionatum; medium quidem inter simpliciter possibile, & absolutè futuram, five existens, ut ex dictis constat. Quid igitur ad hæc clypeus Magistri Gonetii ipsi, ad quorum examen appello, viderint Scholastici.



LECTIO V.

Examinantur, & expenduntur argumenta contra secundam nostram Conclusionem.

Vertit, & undequaque versat suum Theologicum Clypeum Magister Gonet, non jam ut convellat; sed ut confundat superstructam à nostris Doctoribus scientiæ mediæ molem: quia tamen omnia argumenta, quæ contra nos ad paginas omnino plures formavit, procedunt tum ex nostræ scientiæ mediæ abusu, tum ex non satis præintellectis Divi Thomæ principiis; si præ oculis versetur doctrina à nobis in præcedentibus Lectionibus exarata, non erit operosum, hoc Gonetii clypeo Scholam Thomisticam exarmare.

217. Objicitur primò in quâlibet scientiâ præter rem cognitam, debet admitti medium, in quo & per quod cognoscatur. At scientia media nullum habet medium, in quo suum objectum cognoscat. Ergo talis scientia fictitia, & chymærica est. Probatur minor. Scientia media non cognoscit actus liberos sub conditione futuros in signo rationis antecedenti decretum in idæis divinis, ut docet Agidius Romanus: nec in supercomprehensione voluntatis creatæ, vel aliarum causarum contingentium; ut Patres Molina, & Becanus existimant: nec in decreto cognito ut futuro pro sequenti signo rationis; ut Suarez & Fonseca arbitrantur; nec in decretis absolutis ex parte subjecti & conditionati ex parte objecti. Cum huiusmodi decreta defensores scientiæ mediæ non admittant: præter hæc autem non est excogitabile aliud medium. Ergo scientia media nullum habet medium. Probatur minor. Quia non potest cognosci actus liber sub conditione futurus in signo rationis antecedenti decreto in idæis divinis; in quo solum posset esse difficultas: nam in se ipsis talia objecta conditionatè futura, ex dictis constat, non posse cognosci. Ergo. Probatur antecedens. Quia in illo priori signo rationis nullum contingens est determinatè futurum; sed in statu meræ possibilitatis, & indifferentiæ. Atqui quod non est indeterminate futurum; nullam habet veritatem objectivam, ut possit cognosci. Ergo objectum scientiæ mediæ nullum habet medium, in quo possit cognosci. Ita Gonet disput. 6. de scientiâ mediâ, §. artic. 5.

218. Confirmatur primò ex Divo Thomâ in 1. dist. 19. quæst. 1. art. 2. ad 1. *Sicut scire divinam est subjectum libertati voluntatis, ita & idea, secundum quod ad eam terminatur actus*

Insuper t. Gonet, quia scientia media nullum habet medium objectum cognoscendi.

Confirmat ex S. Th. 1. dist. 19. q. 1. a. 2. ad 1. & ex alio triplici capite.

Compendium
et
Ripalda

actus divina scientia. Ergo antecedenter ad actum divina voluntatis non est medium, nec idea, in qua futura cognoscantur. Secundò, quia Deus non potest cognoscere in suis idæis res, nisi eo modo, quo in illis repræsentantur. Sed antecedenter ad decretum creaturæ non representantur in essentiâ divinâ, ut habet rationem idææ, ut futuræ; sed solum ut merè possibles. Ergo. Tertiò. Quia essentia divina non continet creaturas in essendo sub esse existentie, vel futuritionis, nisi per decretum determinata. Ergo non continet illas ut existentes aut futuras in esse intelligibili aut repræsentativo, nisi ut per illum repræsentata. Quartò. Quia repræsentatio idæarum antecedenter ad decretum est repræsentatio naturalis & necessaria, pertinet ad scientiam naturalem, & simplicis intelligentiæ: non verò ad scientiam liberam & visionis: unde si Deus cognosceret futura contingentia in suis idæis antecedenter ad decretum, talis cognitio non esset libera, sed necessaria.

219. Circa medium, in quo Deus futura conditionata cognoscat, mirum quidem est, inquam diversos opinandi modos Doctorum placita abierint: quia tamen eos nec referre, nec refellere vacat, unum vel alterum attingam. In primis rejicienda prorsus est ut contraria Divo Thomæ omnium illorum sententia, quæ asserit, Deum cognoscere futura conditionata in seipsis: tum propter ea, quæ fusè expendimus supra Prælud. 4. proposit. 2. Tum quia, quod nullo modo est, nec habet esse, non potest intelligi: cum ex principiis Philosophicis certum sit, intelligibile debere esse in actu, ut intelligatur. Sed futura conditionata non habent esse actu distinctum à Deo ante decretum. Ergo cum in seipsis nihil sint, Deus ea in seipsis cognoscere non poterit.

120. Secundò. Patres Martinus de Esparza quæst. 18. de Scientiâ, Vir suo sæculo nemini posterior, & ejus vestigia relegens Doctissimus Chentuelli part. 3. Metaph. §. 6. de scientiâ conditionatâ, videntur sentire, veritatem contingentium conditionatè futurorum in conditionatâ ipsorum ex suis causis egressione, quæ sinitur Deo præsens, per idæas divinas, aut essentiam divinam cognosci. Addit tamen Chentuelli, probabilis esse Deum concipere & formare decreta conditionata, quamvis hæc non præponantur scientiæ conditionatæ. Ratio hujus explicationis est. Tum quia sicut futura absoluta videntur à Deo in absoluto egressu sui ipsorum à causis suis, & quidem certò & infallibiliter, ita futura conditionata nõ possunt certò, & infallibiliter representari Deo, nisi in egressione conditionata. Tum quia sicut in esse physico causa, sive libera, sive necessaria, operatur, sic in esse intentionali & objectivo operari debet. Ergo sicut Deus vi-

det ipso egressu physico, & operationes liberas absolute futuras sive existentes sic in ipsa operatione conditionatâ intelligibiliter erumpente à suâ causâ, Deo repræsentatur futurum conditionatum.

221. Verum hic modus, ut jacet, non satisfacit. Primò. Quia supponit, tam futura contingentia absoluta, quam conditionata cognosci à Deo in se ipsis: cum idem prorsus sit, Deum ea cognoscere in egressu sive absoluto, sive conditionato à suis causis, quam in se ipsis; hoc autem falsum omnino est, ut constat ex dictis. Secundò. Quia dicere, futura conditionata egredi, & à suis causis procedere in esse intentionali, & intelligibili; sicuti futura absoluta causantur, & procedunt à suis causis in esse physico & reali; nullâ videtur Theologicâ ratione fulciri. Ratio est. Quia actus liberi absolute futuri non possunt procedere à causis physicis in statu absoluto, nisi tales causæ in esse physico & reali habeant esse, sive existentiam propriam distinctam à Deo: causa enim non existens physicè non potest alteri existentiam propriam communicare. Ergo actus liberi conditionatè futuri non possunt egredi & procedere à causis liberis, adhuc in esse intentionali & objectivo, nisi tales causæ habeant aliquod esse saltem objectivum, & intentionale. Dixi saltem: quia adhuc concessio tali esse objectivo & intentionali in causis, non facillè intelligitur quo pacto causa intentionaliter existens, producat actum & effectum secundum esse intentionale. Sed hoc gratis permisso: Tunc sic arguo. Sed causæ liberæ nõ habent esse objectivum, & intentionale distinctum à Deo. Ergo tales actus conditionatè futuri non possunt egredi & erumpere ab illis causis adhuc in esse intentionali. Minor subsumpta probatur. Tum quia, ut constat ex Opusc. de Possibilitate rerum, creaturæ possibles, imò nec conditionatæ futuræ nõ habent esse actu distinctum à Deo; Tum quia quodlibet esse creaturarum distinctum à Deo, & ab esse naturali propriæ existentie, est omnino chymæricum.

222. Aliam viam non sine ingenii acuminè tentavit P. Michael de Avendano, quatenus asserit futuritionem conditionatam, sive existentiam conditionatam, licet non sit quid actu existens; esse tamen ens verificativum, sive ens cum hoc addito verificativum, ac proinde scientiam Dei objectivè conditionatam noscere suum objectum, nempe futurum conditionatum contingens immediatè in se ipso. Conaturque in hunc dicendi modum pertrahere Patrem Robles, eximium Suarium, & alios. Verum hæc nova cogitatio facillè rejicitur. Tum quia tale ens verificativum aut est chymæra, aut debet esse aliquid, quod quidditative habeat essentiam. Sed omne quod habet essentiam, vel

Displicet dicentes Deum futura conditionata in se ipso cognoscere.

P. Esparza sentit illorum veritatem cognosci à Deo in ipsorum conditionata ex suis causis egressione.

Non ardet, quia cum primis concludit & antea Theologia ratio ne protegitur.

Rejicitur P. Michael de Avendano futuritionem conditionatam esse verificativum.

habet esse in propria natura, vel in mente alicujus intelligentis Ergo tale ens verificativum futuri conditionati actu distinctum à Deo, est chymæra. Tum etiam quia nulla scientia Dei cognoscit res creatas, vel creabiles in se ipsis, ut loco supra citato probavimus. Unde his & aliis modis, qui prolixioribus salebris implicantur absque aliâ impugnatione nunc prætermittis :

Statuitur vera Solutio.

Deus igitur non in liberarum causarum ideis; sed in expressivis actuum liberarum cognoscit conditionate futuros.

223. **R**espondeo igitur ad argumentum in formâ, concessâ majori, negando minorem. Ad istius probationem, distinguo majorem: Scientia media non cognoscit actus liberos conditionate futuros in ligno rationis antecedenti decretum, in ideis divinis causarum liberarum, in quibus actus liberi solum cognoscuntur possibili- bus in causâ indifferenti ad utrumlibet, concedo: non cognoscit actus liberos conditionate futuros, in ideis, in quibus representantur tales actus determinate possibili potius, quam eorum oppositi, nego majorem. Solutio constat ex fusè dictis Lectione præcedenti. Et quia melius declaratur exemplo. Ratio solutionis est primò. Quia in idæâ, quæ est similitudo pœnitentiæ v. g. Tyriorum sub virtutibus, & prædicatione Christi Domini determinate possibili potius, quam non pœnitentiæ. Cognoscit certò & infallibiliter Deus pœnitentiam Tyriorum conditionate futuram; ut patet ex dictis loco citato. Secundò. Quia in idæâ practicè sumptâ de conversione Divi Petri absolute futurâ, aut absolute existenti pro sua differentiâ temporis, cognoscit Deus scientiâ visionis conversionem Sancti Petri absolute futuram respectu nostri, aut absolute existentem respectu sui potius, quam non conversionem. Ergo in idæâ speculative sumptâ aut conversionis Sancti Petri, aut pœnitentiæ Tyriorum, certò & infallibiliter prænoscit Deus tales conversiones determinate possibili potius, quam non conversiones. Antecedens constat. Consequentia etiam patet. Quia quod est absolute futurum, aut absolute existens, eâ ratione fuit possibile. Sed conversio Divi Petri fuit absolute futura, & absolute determinate existens potius, quam non futura, aut existens. Ergo fuit determinate possibilis potius, quam non possibilis possibilitate operationis. Tertio. Quia Deus cognoscendo se esse absolute liberum, & in illâ idæâ de pœnitentiâ Tyriorum, ei representari sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis conversionem Tyriorum potius, quam non conversionem, non potest non cognoscere certò infallibiliter, quod si velit Tyrios constituere in talibus circumstantiis, certissimè convertentur, aut

Theol.

pœnitentiam egissent: quia ex suppositione talis idææ representantis Tyriorum conversionem potius, quam non conversionem; si Deus velit extra producere, quod in tali idæâ representatur, & in illis circumstantiis Tyrios constituere, non potest non poni in rerum naturâ pœnitentia illa Tyriorum, alias idæâ illa esset falsa.

224. **Q**uartò. Quia Artifex independenter à voluntate opere externo fabricandi idæam alicujus domûs, hâc vel illâ dispositione sibi efformavit, certissimè in tali idæâ prænoscit, quod si velit idæatam domum extra construere, domus evaderet hujus vel illius dispositionis, quin, ut supra notabam, opus sit Artificis elicere actum conditionatum, ut veritatem objectivam domûs certò cognoscat: similiter si Deus aut in mente alicujus hominis infunderet, aut in speculo imprimeret speciem aliquam, in quâ nobis objiceretur Tragedia aliqua, quæ nec est, nec fuit, nec erit; v. g. duorum exercituum mordicus utrinque certantium acrior pugna, ita ut hinc inde apparent hostiles incursus, vulnera, mortes, & tandem in quam partem inclinet victoria: Certè qui cruentum hoc spectaculum secundum esse intentionale, & representativum, quod in tali haberet specie, intra speculum cerneret, plures propositiones, & veritates conditionatas posset efformare: dicendo, si Deus secundum existentiam propriam, & naturalem hos duos exercitus producere voluisset, ad cruentam pugnam venirent, in quâ gregarius ille miles inclutus illum Ducem scelopo occideret: & sic de aliis casibus in speculo representatis; certòque & infallibiliter sciret quæ acies victoriam decantasset: Si enim hanc scientiam absque ullâ difficultate similia in speculo videnti concedimus; quâ ratione, vel quâ inverecundâ fronte hoc ipsum, & infinita alia Deo Optimo Maximo, in suis idæis veluti in tergo speculo divinæ essentia certissimè prævidenti, poterit denegari? Ex quibus patet ad reliqua argumenti.

225. **A**d primam confirmationem dico Sanctum Thomam, ut ex ejusdem verbis constat, clarissimè loqui de scientiâ visionis, quæ per decretum absolutum & efficax quasi determinatur ad cognoscenda absolute futura; quæ, ut supra explicuimus, posito decreto absoluto tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti in essentia divinâ, aut in illis idæis practicè sumptis, cognoscuntur. Ad secundam confirmationem eodem modo quoad argumentum: Respondeo, majori concessâ, distinguendo minorem: antecedenter ad decretum non representantur in essentia divinâ, ut habet rationem idææ, rei, ut absolute futuræ, concedo: non representantur conditionate futuræ juxta explicationem sapius datam, nego minorem. Nam si loquamur juxta quæstionis propositum, de idæis, in

P

quibus

Repeto
Creati ar-
tificis pa-
ritatem,
respectu
divini op-
portunam

Ad confir-
mationem
dico, non
nobis ibi
Angelicū
refragari.

quibus repræsentantur operationes liberæ, sive causæ secundæ actu operantes, sive conjunctæ cum suis operationibus, tunc tales operationes non cognoscuntur possibles solum possibilitate in causâ; sed determinatè possibles potiùs, quàm earum oppositum, sicut dictum est de idæis practicis, in quibus cognoscit operationes liberæ absolute futuræ potiùs quàm non futuræ.

Ad 3. respondeo, & evinco minùs theologice dari essentia divinâ continere creaturas in essentia sub esse existentie ut per decretum determinatas.

226. Ad tertiam confirmationem respondetur, id esse verum de rebus absolute futuris, sive existentibus, quæ non possunt intelligi secundum esse proprium, & naturale, nisi per decretum absolutum, vi cuius determinat Deus existentias rerum. Illud autem, quod addit Gonet, videlicet essentiam divinam non continere creaturas in essendo sub esse existentia, nisi ut determinatæ per decretum, minùs theologice dictum est. Quia creaturæ non continentur in essentia divinâ ante & post decretum secundum esse proprium suæ existentia: sed immaterialiter & longè alio perfectiori modo. Ad quartam respondeo, repræsentationem idæarum in Deo antecedenter ad decretum, pertinere ad scientiam naturalem, & necessariam Dei. Ad illud verò, quod additur, quod si Deus in illis idæis cognosceret contingentia conditionatè futura antecedenter ad decretum, talis scientia non esset visionis & libera; sed necessaria: cõcedenda est prima pars: secunda verò sic distinguenda: sed necessaria ex parte rei cognoscentis, concedo: necessaria ex parte cognita, subdistinguo: necessaria necessitate absolutâ, nego: necessitate ex suppositione, concedo.

Conspicuum præbeo solutionis rationem.

227. Ratio solutionis constat ex dictis. Quia omnis scientia Dei, etiam visionis, est perfectio Dei: perfectio autem divinâ non potest Deo non esse necessaria. Si verò futurum contingens conditionatum consideretur etiâ ante decretum, secundum se, & ex parte sui; sic non est necessarium necessitate absoluta: quia cum sit possibile possibilitate in causâ ex suâ essentia, & quidditate indifferenti ad utrumlibet, adhuc objective, & secundum esse intentionale non est necessarium necessitate absolutâ: in quo distinguitur ortus Solis possibilis, sive combustio ignis possibilis, à volitione liberâ possibili, sive quocunque alio actu ex suâ quidditate contingentis: primi enim effectus sunt necessarii necessitate absolutâ; quia comparantur ad causas ex suâ quidditate ad unum determinatas; secus autem secundi, qui sunt actus causarum, quæ non sunt determinatæ ad unum; sed ex suâ quidditate indifferentes ad utrumlibet contradictionis extremum. Relinquitur ergo, quod operationes liberæ antecedenter ad decretum solum sunt necessariae necessitate ex suppositione: quia cum Deus in suâ divinâ essentia cognoscat, & comprehendat non solum causas liberæ, & contingentes pos-

sibiles; sed etiam actus liberos, & contingentes possibles in quacunque rerum serie, ex suppositione quod eos in suis idæis cognoscat, atque comprehendat; tales actus determinatè possibles, sive (quod idem est) conditionatè futura, juxta superius dicta, dicuntur etiam ante decretum necessarii necessitate conditionatâ, sive ex suppositione.

228. Replicabis primò, Pœnitentia Tyrriorum conditionatè futura (idem est de alio quolibet contingenti conditionatè futuro) si ante omne decretum esset necessaria necessitate solum conditionatâ, & ex suppositione sequeretur primò, quod talis pœnitentia taliter esset determinatè possibilis & conditionatè futura, ut ante decretum potuisset esse, & non esse determinatè possibilis, & conditionatè futura. Sed ante decretum nolum est objectum scientiae necessariae Dei, quod potuisset esse & non esse. Ergo. Sequeretur secundò, quod scientia necessariae Dei, sive conditionata, & media esset variabilis, Hoc autem est absurdum. Ergo. Probatur sequela. Quia si pœnitentia conditionata Tyrriorum secundum possibilitatem in causâ, potuisset esse & non esse sub his virtutibus, & prædicatione Christi Domini: eò quod istæ nullam dicunt connexionem ex se cum tali pœnitentia, potuisset Deus videre non pœnitentiam conditionatam Tyri & Sidonis sub illis virtutibus, in quo casu Deus prævidisset oppositum ejus, quod nunc vides. Sed hoc est, variari divinam scientiam. Ergo.

229. Ad primam replicæ sequelam distinguo majorem: Potuisset esse, & non esse conditionatè futura, sumptâ possibilitate in ordine ad causam quidditative sumptam in actu primo, concedo: Possibilitate sumptâ in ordine ad causam in actu secundo, sive conjunctam cum operatione liberâ, sive pœnitentiâ illâ conditionatâ, nego majorem. Quia cum res, secundum esse physicum, sive secundum esse objectivum, & intentionale, necesse sit, esse; ex suppositione, quod Deus semel prænoverit, & in suâ divinâ essentia comprehenderit pœnitentiam Tyrriorum determinatè possibilem potiùs, quàm non pœnitentiam sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis, talis pœnitentia non potuit non esse conditionatè futura, sive determinatè possibilis. Et sub eadem distinctione diluenda est minor. Ad secundam sequelam nego majorem. Ad ejus probationem, concessa majori, nego minorem. Ratio sumitur ex Divo Thomâ pluribus in locis, præsertim quest. 2. de scientia Dei, artic. 13. in corpore. Quia cum scientia sit medium inter cognoscentem, & cognitum, duplex potest in ipsâ variatio contingere: Uno modo ex parte cognoscentis; alio modo ex parte rei

Replicatur duplicem intendo sequelam.

Ad 2. respondeo sub illâ distinctione possibilis actum in ordine ad causam quidditative in actu 2.

res cognitæ: Scientia autem Dei cum non solum sit rerum existentium, sive absolute futurarum, ut est scientia visionis; sed etiam omnium pure possibilium; ut est scientia sive simplicis intelligentiæ absolute, sive scientia conditionata, aut media, juxta explicationem supra datam, nullo modo ex parte Dei potest variari. Ratio est. Tum quia prædictæ scientiæ in Deo cum sint certæ, & infallibiles, omnem contingentiam, & variationem excludunt; ut latè probavimus supra quæst. 1. prælud. 4. proposit. 5. quibus in locis ex Boëtio, & Angelico Magistro certitudinem, & infallibilitatem divinæ scientiæ luculenter composuimus cum ipsâ rerum contingentia; absque eo, quod ulla actibus liberis, & contingentibus à Deo necessitas imponatur. Tum quia scientia conditionata, & media, circa quam versatur præcipua difficultas, est necessaria, & naturalis ex suppositione operationis liberæ determinatè possibilis potius, quam ejus oppositi; ex quâ suppositione non potest variari. Tum quia, etiam loquendo de rebus contingentibus, quæ Deus semel prævidit, & voluit, non potest non providere, & velle; unde nec scientia, nec voluntas Dei ullam mutationem pati possunt.

Rursus nec ex parte rei cognitæ scientia media: & S. Thomæ dicto artic. 13. in corpore ad finem.

230. Rursus etiam ex parte rei cognitæ scientia conditionata, sive media variari non potest: Quod Sanctus Thomas dicto artic. 13. in corpore ad finem, hæc ratione suadet, ibi: *Ex parte rei cognitæ scientia variatur secundum veritatem, & falsitatem; quia eadem existimatione remanente, si res mutetur, erit existimatio falsa, que fuit prius vera: Quod etiam in Deo non potest esse; quia intuitus divinæ cognitionis fertur in rem, secundum quod est in sua presentia, prout est jam determinata ad unum.* Tunc sic. Sed scientia conditionata, & media fertur in res contingentes conditionatè futurâs, prout sunt Deo præsentibus secundum esse objectivum, & intentionale in suis idæis, in quibus repræsentantur determinatè possibiles, & in quibus causæ liberæ cognoscuntur conjunctæ cum suis operationibus, & consequenter liberæ determinatæ ad unum. Ergo ex hæc suppositione scientia media variari non potest.

Eandem invariabilitatem ulterius suadeo à paritate scientiæ visionis.

231. Suadetur ulterius à paritate scientiæ visionis. Etenim si res, & actus liberi absolute futuri, potuissent non esse, nullus Theologus ex Catholicis hætenus asseruit, scientiam visionis esse variabilem: Non aliâ ratione, nisi quia scientia visionis necessariò intuetur actus liberos absolute futuros ut sibi præsentibus in suâ temporis differentiâ; ita, ut quamvis res transeant successivè de uno tempore in aliud;

Theol.

ratione cujus transitus, & nostri modi cognoscendi etiam successivi, & imperfecti, quoad nos sint præteritæ, & futuræ; respectu tamen Dei, qui unico intuitu suæ æternitati commensurato, omnia ut sibi præsentia habet, tales actus liberi, sive res non sint præteritæ, & futuræ; sed præsentibus. Propter quod satis eleganter addidit D. Thomas, ibidem: *Si autem res ipsa aliam dispositionem accipiat; illa iterum erit eodem modo divinæ visioni subjecta; & sic scientia Dei nullo modo variabilis est.* Ita ibi. Tunc sic. Sed negari non potest, quin Deus scientiâ necessariâ, & naturali præviderit actus liberos possibiles ut sibi præsentibus secundum esse intentionale, & objectivum in suis idæis, quos nunc scientiâ visionis prænoscit: Cum certum sit, fuisse independentem ab omni decreto prius absolute possibilium, quæ nunc sunt actu absolute existentia, aut absolute futura. Ergo si Deus scientiâ visionis absque ullâ variatione, & mutatione tam ex parte cognoscentis, quam ex parte rei cognitæ prænoscit actus nostros liberos certò, & determinatè futuros potius, quam eorum oppositos; necessariò concedendum est, Deum absque ullâ variatione, & mutatione scientiâ necessariâ prænoscere actus liberos secundum esse intentionale determinatè possibiles potius, quam eorum oppositos: Quam scientiam, propter rationes dictas, conditionatam appellamus, & mediam, quæ utpotè anterior omni decreto, reducenda potius est ad scientiam simplicis intelligentiæ, quam visionis.

232. Addiderim, præfatam replicam de variatione scientiæ Dei majori vi invalescere contra Thomistarum scientiam conditionatam. Ratio est. Quia istius objectum nec est existens in propria natura, nec est possibile; sed medium quoddam objectum formaliter contingens secundum esse objectivum causatum per decretum liberum absolutum ex parte Dei; quo deficiente (ut in eorum sententia potuit saltem terminativè deficere) tale esse objectivum futuri pure conditionati per nullam scientiam cognosceretur à Deo. Rem ostendo. Omne, quod cognoscitur, juxta Divum Thomam, & communem Philosophiam, debet esse in aliquo actu; nam quod nullo modo est, nullo modo cognoscitur. Sed deficiente illo Thomistarum decreto absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, tale objectum conditionatè futurum, nullo modo esset. Ergo. Probatur minor. Tale objectum pure conditionatum; v. g. poenitentia conditionata Tyrionum sub illis virtutibus, est actus liber contingens, & conditionatè futurus potius, quam ejus

Veritatem præjecta replica robustius contra Thomistas invalescit.

P 2

caren-

carentia, aut oppositum, nullo modo esset, deficiente tali decreto conditionato. Ergo. Probatur minor primò. Quia talis pœnitentia Tyrriorum nec haberet esse objectivum, nec cognosceretur in decreto illo conditionato veluti in medio; quia, ut supponitur, tale decretum actu terminativè ex parte Dei, deficeret. Secundò. Quia multò minùs cognosceretur, nec haberet esse objectivum in decreto aliquo absoluto tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti: Cum certum sit, tale decretum non esse in Deo. Tertiò. Quia talis pœnitentia secundùm illud esse objectivum non cognosceretur in se ipsâ, tum quia in sententiâ Divi Thomæ, & veriori Theologiâ (ut constat ex dictis prælud. 4.) Deus nullum objectum creatum cognoscit immediatè in se ipso. Denique talis pœnitentia conditionata nullo modo haberet esse objectivum, nec cognosceretur ante omne actuale decretum ex parte Dei in essentiâ divinâ, nec in aliquâ idæâ.

Ostendo multipliciter, illâ Tyrriorû pœnitentiâ nullatenùs antedecretû habiturû esse objectivû, nec cognoscendum in divinâ essentiâ, nec in aliquâ idæâ.

233. Quod sic ostendo primò. Quia talis pœnitentia Tyrriorum est actus liber conditionatè futurus potiùs, quàm ejus carentia, sive impœnitentia: Nam veritas revelata in Evangelio, est sub illâ conditione determinatè futura. Sed Deus talem veritatem non cognoscit independenter ab omni decreto; ut communiter docent Thomistæ: Aliàs jam scientia conditionata esset anterior omni decreto; quod pro viribus negant. Ergo deficiente tali decreto absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, ut pro libito Dei potuit deficere; pœnitentia illa sub conditione determinatè futura potiùs, quàm ejus carentia, aut oppositum, per nullam scientiam posset cognosci, nec esset aliquod medium, in quo cognosci posset à Deo. Ostendo secundò. Quia, omnibus benè consideratis, si per aliquam scientiam posset à Deo cognosci talis pœnitentia conditionatè futura, maxime per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ illam cognosceret ut possibilem sub illis virtutibus, & prædicatione Christi. At per scientiam simplicis intelligentiæ non cognosceret illam possibilem. Ergo. Probatur minor. Quia vel Deus cognosceret talem pœnitentiam possibilem possibilitate in causâ ex suâ quidditate ad utrumlibet indifferenti; vel illam cognosceret possibilem possibilitate ipsius pœnitentiæ determinatæ sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis potiùs, quàm ejusdem carentiæ? Si primum: Contra est. Quia in medio, in quo cognoscitur causa libera indeterminata, & indifferens ad utrumlibet, non magis cognoscitur pœnitentia Tyrriorum possibilis, quàm eorum im-

pœnitentia; sicut in causâ liberâ absolutè existenti cum indifferentiâ ad volendum, & nolendum, non potest cognosci volitio potiùs determinatè futura, quàm ejus nolitio. Sed veritas revelata est de pœnitentiâ determinatè sub conditione futurâ potiùs, quàm de impœnitentiâ. Ergo talis veritas non potest cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ in illo medio, in quo solum cognoscitur possibilis possibilitate in causâ indeterminatâ, & omnino indifferenti ad utrumlibet.

234. Si secundùm dicatur: Jungamus dexterâs. Ergo jam antè omne decretum datur medium, in quo Deus cognoscatur certò, & infallibiliter pœnitentiam Tyrriorum sub illis virtutibus determinatè possibilem potiùs, quàm eorum impœnitentiam. Jam verò cum ex dictis constet, idem esse, Deum certò, & infallibiliter cognoscere ante omne decretum pœnitentiam Tyrriorum determinatè possibilem potiùs, quàm impœnitentiam; ac certò cognoscere pœnitentiam illam conditionatè futuram: Relinquitur, scientiam conditionatam, sive mediam esse in Deo ante illud decretum Thomisticum absolutum, & subjectivè ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Ex quibus omnibus fit, ut consequentia ad propositum redeat, sequelam de variabilitate, & mutatione scientiæ Dei efficacius urgere Thomistas; cum scientia conditionata juxtâ illos pendeat necessariò ab objecto conditionato, secundùm esse objectivum formaliter contingenti, & producto per illud liberum decretum. Unde sicut scientia visionis variaretur, si dependeret à rebus absolutè futuris per decretum absolutum, & efficax; ita, ut independenter à decreto nullum aliud esse objectivum haberent in Deo, nec in eo esset aliquod medium cognoscendi id, quod per tale decretum dicitur absolutè futurum: Sic eandem mutationem videretur incurrere scientia conditionata in sententiâ Thomistarum, propter rationem suprâ tactam.

235. Replicabis secundò id, quod est determinatè possibile, potest esse, & non esse. Sed pœnitentia conditionata Tyrriorum non potest esse, & non esse; cum determinatè sit conditionatè futura. Ergo objecta contingentia conditionatè futura non pertinent ad statum possibilitatis. Distinguo majorem: Potest absolutè esse, & non esse in ordine ad existentiam propriam suæ naturæ, concedo: In ordine ad existentiam objectivam, & intentionalem in essentiâ divinâ, aut in propriâ idæâ, nego majorem. Et distingo minorem: Non potest absolutè esse, & non esse in ordine ad existentiam propriam suæ naturæ, nego:

go: In ordine existentiam objectivam, & intentionalem in Deo, concedo minorem. Igitur talis pœnitentia conditionata, & omnes operationes liberæ, & contingentes, quatenus cognoscuntur ut determinatè possibiles in suis ideis, comparative ad liberam potestatem Dei possunt absolute esse & non esse in propriâ naturâ; cum pro libito ponit disponere Deus, ut extrâ causas existant, & producantur. At verò comparative ad esse intentionale, & objectivum, seu per similitudinem, quod habent in suis ideis, non possunt esse, & non esse intentionaliter, sed habent esse intentionale determinatum: Quia ex suppositione quod Deus comprehendens infinitam imitabilitatem suæ essentia, præverit comprehensivè omnes actus liberos, & contingentes causarum secundarum; quilibet actus liber habet esse intentionale determinatum in suâ ideâ potius, quàm ejus oppositum; & secundum tale esse non potest esse, & non esse; sed necessariò est determinatè possibilis, & determinatè conditionatè futurus: Quemadmodum actus liber absolute futurus ex suppositione, quod sit in propriâ naturâ pro suâ differentia temporis, non potest esse, & non esse; sed necessariò est; necessitate tamen conditionatâ, & ex suppositione, ut supra notavimus ex S. Thomæ, & Boëtii doctrinâ.

236. Replieabis tertio. Quia nihil habet ideam, nisi quod habet esse determinatum. Sed quod nec fuit, nec est, nec erit, non habet esse determinatum. Ergo objecta purè conditionata, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non possunt habere ideam in Deo; ac proinde nec pœnitentia illa conditionata. Respondet Angelicus Magister quæst. 3. de ideis, artic. 6. his verbis: *Dicendum, quod quamvis quod nec fuit, nec est, nec erit, non habeat esse determinatum in se; est tamen determinatè in Dei cognitione.* Quæ solutio majori explicatione non indiget. Jam verò cum pœnitentia conditionatâ Tyrriorum nec sit, nec fuerit, nec futura sit; ad ejus infallibilem veritatem, & cognitionem sufficit, quod habeat esse determinatum intentionaliter in propriâ ideâ. Et obiter notandum est, S. Doctorem non dixisse, habere esse determinatum in aliquo decreto Dei, nec in se ipsâ; sed solum in cognitione, sive ideâ. Tum quia decretum actuale ex parte Dei circa ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec unquam erunt, in viâ Divi Thomæ chymericum prorsus est. Tum quia S. Doctor non agnovit medium essendi inter esse, quod res habent determinatè in cognitione, aut ideâ Dei; & inter esse proprium, quod res habent in se ipsis, secundum propriam naturam, &

Theol.

extrâ causas. Ergo illud esse medium objectivum formaliter contingens, & causatum à decreto actu subjectivè ex parte Dei, est planè confictum, & contra omnia S. Thomæ principia.

237. Replieabis quarto. Scientia conditionata, & media est libera, & contingens. Sed independenter ab omni decreto, non potest Deus habere scientiam liberam, & contingentem. Ergo talis scientia non habet suum objectum independenter à decreto Dei. Probat major. Scientia, cujus objectum potuit deficere, est libera, & contingens. Sed pœnitentia v. g. Tyrriorum adhuc sub illâ conditione virtutum, & signorum Christi Domini potuit deficere. Ergo. Respondeo negando majorem. Quoad utramque partem. Ratio primæ est. Quia denominatio liberæ non competit divinæ scientiæ, nisi mediante decreto absoluto Dei, vi cujus existat in rerum naturâ objectum divinæ scientiæ: Cum ergo objectum scientiæ conditionatæ, & mediæ nullum habeat proprium suæ naturæ; sed solum esse intentionale, & similitudinis in essentia divinâ, aut in ideâ ipsius representativâ; inde est, scientiam conditionatam, sive mediam non esse, nec dici liberam. Ratio secundæ partis est. Quia licet objectum scientiæ conditionatæ, & mediæ; v. g. pœnitentia determinatè possibilis, aut conditionatè futura Tyrriorum, sit contingens adhuc objectivè, & intentionaliter in causâ ex suæ naturæ quidditate indifferenti; non ideo scientia Dei est contingens; quia non sequitur naturam, & conditionem objecti; sed solum naturam cognoscentis; ut cum Divo Thomâ, & Boëtio latè probavimus quæst. 1. hujus controversiæ. Unde cum talis scientia conditionata tale cognoscat objectum in suâ ideâ; ex suppositione quod in illâ habeat esse intentionale ex infinitâ comprehensione omnium veritatum; potius dicenda est naturalis, & necessaria, quàm contingens, aut libera. Nec majorem difficultatem præfert scientia conditionata, & media quantum ad hoc, ac scientia visionis: Sicut enim hæc non est, nec dici potest contingens ex parte actûs, eò quod tota contingentia se habet ex parte objecti, quod in suâ causâ fuit possibile esse, & non esse; quin inde inferatur, scientiam Dei esse in se, & ex parte actûs contingentem, nec esse in se defectibilem, aut variabilem, quamvis ejus objectum potuisset deficere, attentâ naturâ, & conditione suæ causæ: Sic scientia conditionata, & media de Tyrriorum pœnitentiâ determinatè possibili, aut conditionatè futurâ, non potest dici contingens ex parte sui: Quia tota contingentia se habet ex parte

P 3

obje-

Scientiam conditionatam, & mediam nec esse liberâ, nec contingere, efficaciter proba.

Id, quod nec fuit, nec est, nec erit, habet in Deo determinatâ ideam, ex S. Thomâ q. 3. de ideis, artic. 6.

objecti, quod fuit possibile esse, & non esse possibilitate in causâ; ut superius manet explicatum.

Doctrinâ illustra, insistentis scientiæ visionis exemplo: & inde triplicem propositionem exaro, & eorum veritatem firmo; & nunc primam de infallibilitate conversionis Magdalena.

238. Res potest ulterius illustrari, insistenti scientiæ visionis exemplo. Posito enim decreto absoluto, & efficaci ab æterno de conversione Sanctissimæ Magdalena; istæ propositiones sunt veræ, quarum veritates certò, & infallibiliter prænovit Deus; prima est: *Deus suâ scientiâ visionis prænovit certò, & infallibiliter conversionem Magdalena absolute futuram respectu nostri, & respectu Dei ut sibi præsentem pro suâ differentiâ temporis.* Secunda est: *Adhuc posito decreto efficaci, conversio Magdalena potuit existere, & non existere; ac proinde fuit formaliter contingens, sive possibile esse, & non esse.* Tertia est: *Scientia visionis de conversione Magdalena est certissima, & infallibilis.* Ratio primæ propositionis, de cuius veritate nullus Theologorum dubitat, est. Quia cum scientia Dei mensureretur ejus æternitate; & Dei æternitas utpotè indivisibilis sit tota simul, & præsens omnibus temporum differentiis; necessariò cognoscit simul simultate ex parte actûs omnia, quæ pro illis temporum differentiis existunt; ac proinde conversionem Magdalena pro suâ temporis differentiâ in domo Pharisæi.

Ratio 2. propositionis de ejus conversionis cõgruentiâ, & libertate.

239. Ratio secundæ propositionis est non minùs certa. Tum quia decretum absolutum, & efficax de conversione Magdalena (dummodò non sit illativum physica prædeterminationis in voluntate creatâ) non immutat naturam, & conditionem liberi arbitrii, istudque relinquit in manu consilii sui; in cuius potestate absolute fuit ponere, vel non ponere conversionem. Unde in medio, in quo Deus prænovit voluntatem Magdalena cum omnibus suis comprincipiis proximè converti, & non converti potentem; certissimè prænovit Deus hanc veritatem: *Conversio Magdalena est possibilis, & contingens esse, & non esse.* Aliàs posito decreto absoluto, nec voluntas Magdalena esset libera, aut proximè potens converti, & non converti; nec conversio illius esset formaliter contingens esse, & non esse; quod quidem absurdum: Aliàs voluntas creata, posito decreto Dei ex infallibilitate suæ præscientiæ prænoviente actûs liberos, non esset proximè libera ad operandum, & non operandum; ut in Opusculo antelapso de divinâ motione latè ostendimus contra M. Gonetum, & Thomistarum Scholam. Tum etiam quia (ut quæst. 1. prælud. 4. proposit. 5. per totam) scientia Dei non imponit necessitatem rebus contingentibus, & liberis.

Ratio 3. propositionis de infallibilitate scientiæ divinæ, conversionem illâ cognoscit.

240. Ratio tertiæ propositionis est. Quia scientia visionis nullatenùs versatur in objectum sibi præsens, & existens; Cum ergo res dum est, necesse sit, esse, non potest non esse infallibilis, & certissima scientia visionis circâ conversionem Magdalena, ex suppositione quod illa existat. Jam verò cum veritates, quæ habentur de rebus in statu absoluto post decretum efficax, non possint non esse posibles in statu possibilitatis ante omne decretum: Fit primò veritatem secundæ propositionis correspondere scientiæ simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognoscit in suâ essentiâ, vel in ideâ causæ liberæ cum suis comprincipiis indifferentis ex suâ quidditate ad utrumlibet, conversionem B. Magdalena possibilem, & contingentem possibilitate, & contingentiam causæ. Fit secundò veritates primæ, & tertiæ propositionis correspondere scientiæ etiam naturali, quam rectè dicimus conditionatam, & mediam, quâ Deus prænovit in ideâ, quæ repræsentat voluntatem in actu secundo, conversionem Magdalena determinatè possibilem potius, quàm ejus oppositum.

Doctõri rationem cõpertam exhibeo.

241. Ratio est. Tum quia sicut voluntas creata in statu absolute existentie pro instanti suæ operationis non potest non habere aliquid extremum determinatè existens ex his, ad quæ antecederet erar indifferentis. Tum quia sicut scientia visionis certò, & infallibiliter prænovit ex suppositione determinationis voluntatis illud extremum, ad quod est determinata; v. g. determinatam conversionem Magdalena: Sic scientia conditionata, & media prænovit tale extremum, sive conversionem determinatè possibilem potius, quàm ejus oppositum, ex suppositione determinationis possibilis voluntatis, quam debet necessariò comprehendere, ut supra ostendimus. Tum quia sicut perfectione scientiæ visionis non derogat, nec in aliquo derogaret, quod conversio Magdalena potuisset deficere, imò & quod actu deficeret in aliâ rerum serie: Quia tunc eidem certitudine, & infallibilitate contrariam voluntatis operationem videret; sic scientiæ naturali conditionatæ, & mediæ minime derogat, nec derogare posset, quod illâ conversio determinatè possibilis potuisset non esse; imò & quod de facto non esset secundum esse intentionale, & objectivum; quia tunc Deus prævideret, & comprehenderet alterum voluntatis extremum determinatè possibile. Tum denique quia cum Deus non immuter essentias rerum, nec modum operandi causarum secundarum, ad certitudinem, & infallibilitatem scientiæ divinæ solum pertinet præscire, & videre operationes liberis,

ras, ex suppositione quod sint ei praesentes, siue in statu absoluto secundum propriam naturam; siue in statu possibili determinate secundum esse intentionale & objectivum; ita ut ex praesentia actu liberorum determinate possibilem, Deus dirigatur ex infinita sua bonitate ad recte & provide disponendum de rebus & causis liberis in statu absolute futuritionis, siue realis existentiae: aliam caeco, & inconsulto modo procederet in directione, & gubernatione causarum contingentium, & liberarum: pro quo declinando absurdo abstruitur a nobis scientia conditionata, & media anterior omni decreto actu terminativo, & subjective ex parte Dei.

Insuper
2. in Deo
negans in
dependen
ter a de-
creto id
as rerum
quae nec
sunt, nec
fuerunt,
nec erunt.

242. Objicitur secundò. Futura contingentia pure conditionate futura, de quorum ratione est poenitentia conditionata Tyrionum, nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Sed respectu illorum, quae nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non dantur ideas independentes ab omni decreto. Ergo scientia de pure conditionate futuris non potest intelligi in Deo ante omne decretum. Probatur minor, in qua est difficultas. Quia ut ait S. Dionysius cap. de divinis Nominibus à medio; exemplaria sunt divinae & bonae voluntates, quae sunt praedeterminativae, & effectivae rerum. Sed illud, quod nec fuit, nec est, nec erit, nunquam fuit determinatum à divina Voluntate. Ergo futura pure conditionata non habent ante decretum ideas vel exemplaria, in quibus cognoscantur à Deo.

S. Th. hinc
satisfacit
argumento
q. 3. de id
is. a. 6. in
corpore
illud ibi si
bi propo-
nens,

243. Doctor Angelicus quaest. de idæis, artic. 6. ut se ab hoc argumento expediret, in ejusdem articuli corpore sic ait: Dicendum, quod ideae proprie dicta respicit practicum cognitionem non solum in actu, sed in habitu: Unde cum Deus de his qua facere potest, quamvis nunquam fiat facta, nec futura, habeat cognitionem virtualiter practicum; relinquatur, quod ideae possit esse ejus, quod nec est, nec fuit, nec erit, non tamen eo modo, sicut est eorum, quae sunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea quae sunt, vel erunt, vel fuerunt, producenda determinatur ex proposito divinae voluntatis, non autem ad ea quae nec sunt nec erunt, nec fuerunt, & si hujusmodi indeterminatas ideas, &c. Hæc Sanctissimus Doctor; & quidem omnia ad disputationis propositum utilissima.

Quae con-
stent ex
D. Thom.
doctrina
pro nobis
inculco.

244. Ex cuius doctrinâ constat primò, Divum Thomam docuisse, esse in Deo ideas virtualiter practicas ante, & independentes à sua divina voluntatis proposito, in quibus cognoscit ea, quae nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Sed poenitentia conditionata Tyrionum, nec fuit, nec erit, & idem est de aliis veritatibus pure conditionatis. Ergo poenitentia Tyrionum, & aliae veritates pure conditionatae cognoscuntur à Deo in illis idæis virtualiter practicis ante & independentes à divina voluntatis proposito. Manifestè ergo & aperto Marte resistunt Recentiores Tho-

mista suo, & communi Magistro, dum confingunt divinae voluntatis propositum subjective ex parte Dei ad cognoscendas hujusmodi veritates. Secundò Divum Thomam solum agnovisse propositum, siue decretum divinae voluntatis pro iis rebus & objectis, quae producenda sunt, & quae absolute fuerunt, sunt, vel erunt. At poenitentia pure conditionata Tyrionum, & aliae hujusmodi veritates conditionatae nec sunt, nec fuerunt, nec erunt producenda. Ergo nullum divinae voluntatis agnoscit propositum quod circa illas versetur. Constat tertio, Divum Thomam nullum invenire medium inter ideas indeterminatas; hoc est: non determinatas ex proposito divinae voluntatis, & decreto Dei ad ea, quae fuerunt, vel sunt, vel erunt producenda. Thomista verò pro sua scientia conditionata tuenda aliud medium confingunt inter pure possibile, & inter absolute futurum, siue existens; illud nimirum, quod quamvis nec sit pure possibile, nec sit existens aut producendum in propria natura; est tamen causatum, & productum, & formaliter contingens secundum esse objectivum: quod medium mirabile prorsus est in his, qui in scientia Dei nomen Mediae sic exhorrent.

245. Ad argumentum verò ex doctrinâ illâ in corpore praemissa, sic respondet Angelicus, ibi: Quod quamvis Deus nunquam voluerit producere hujusmodi res in esse, quarum ideas habet; tamen vult, se posse eas producere, & se habere scientiam eas producendi: Unde & Dionysius non dicit quod ad rationem exemplaris exigeretur voluntas praedefiniens, & efficiens; definitiva & effectiva. Hæc Sanctus Doctor. Sententiam Thomistarum aperitissime convellens. Rem ostendo. Inter voluntatem Dei praefiniens, & efficiens; & voluntatem Dei praefinitivam, & effectivam, hoc, & maxime notandum discrimen intercedit: quod nimirum decretum, siue voluntas praefiniens, & efficiens est actu subjective ex parte Dei praefiniens, & efficiens terminum pro sua differentia temporis producendum; ut ex ipsâ primâ terminorum apprehensione innotescit. At voluntas solum praefinitiva, & effectiva non respicit terminum actu existentem, siue producendum; sed solum potestatem liberam illum producendi, secundum modum, quem certissime & infallibiliter cognoscit in sua idæâ nondum determinatâ. Sed Sanctus Doctor non requirit voluntatem Dei praefiniens, & efficiens; sed solum definitivam, & effectivam, ut Deus cognoscat ea, quae nec sunt, nec fuerunt, nec erunt in suis idæis virtualiter practicis, & non determinatis ex proposito sua voluntatis. Ergo ut Deus praenoscat poenitentiam pure conditionatam Tyrionum & hujusmodi alias veritates sub conditione revelatas, quae nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, nullo modo

Nunc res-
pondet
Angelicus
ad argu-
mentum
ibidem
iprosus
evertens
Thomista-
rum sen-
tentiam.

Jo. Martinez de Ripalda

modo requiritur voluntas, sive decretum præfinitens, nec efficiens subjectivè ex parte Dei: sed sufficit voluntas præfinitiva, & effectiva: Ex cujus comprehensione æquivalenter, & perfectiori modo cognoscit, quod si per voluntatem suam fierent aut facte fuissent virtutes in Tyro, & Sydona, quæ factæ sunt apud Judæos, Tyri, & Sydonii poenitentiam egissent. Jam ergo cum universa Societas hoc semper constantissimè edocuerit, nulli potest esse dubium, quin hætenus certaverit, & usquequodque certet pro mente, & doctrinâ Magistri Angelici. Favet etiam illud, quod Sanctus Doctor in solutione addit: videlicet ibi; *Tamen vult, se posse eas producere, & se habere scientiam producendi.* Per quæ verba significat, Deum se habere volitionem & amorem necessarium, quo sibi complacet, & amat potestatem, quam habet ad producendum ea, quæ independentè à decreto præfinitenti in suis idæis prænoſcit; & quo similiter complacet, & amat, se habere scientiam producendi. De quâ volitione non loquuntur Thomistæ: hi enim non adstruunt decretum præfinitens, ut Deus velit & amet, se posse producere; sed ut actu producat; tamen secundum suum esse objectivum, & intentionale objecta purè conditionata, ut constat ex supra impugnata Gonetii doctrinâ.

Inſurgit 3
dicens,
nullū esse
scientiæ
mediæ
fundamen
tum post
quod ex duo
bus forma
tis contra
dictoriis
contradi
ctoriè fu
turis, quo
rū unum
sit deter
minatè
verum. &c

246. Objeicit teritiò. Quia idèd adstruitur scientia mediæ, & conditionata omni decreto anterior, quia formatis duobus contradictoriis conditionatè futuris ante decretum, altera debet esse determinatè vera, & altera determinatè falsa. Sed ad hoc est inutilis scientia mediæ, & conditionata. Ergo. Major supponitur à Gonetio. Minor verò probatur primò ex Sancto Thoma expressè docente, Propositiones de futuro contingenti non habere determinatam veritatem; ut constat ex lect. 13. Periherm. & in 1. Sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 2. Ibi: *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat, quia non habet causas determinatas.* Probatum secundò. Quia etiam possunt formari propositiones contradictoriæ de futuris contingentibus absolutè futuris; & tamen nulla ex illis habet determinatam veritatem independentè à divino decreto, ut est communis sententia. Ergo.

Igitur id
nō est po
tissimum
sententiæ
nostræ
fundamē
tum.

247. Respondeo ad objectionem, aliud esse, duas propositiones contradictorias de conditionatè futuris, quarum altera ante omne decretum sit determinatè vera, & altera determinatè falsa; assumi pro medio à nostris Doctoribus ad probandum, scientiam mediæ esse independentem ab omni decreto: & aliud potissimam rationem adstruendi scientiam mediæ, esse illas propositiones sibi immediatè contradicentes. Primum est verum; quia hoc ar-

gumento plures uruntur. Secundum autem est falsum: quia præcipuus scientiæ mediæ scopus in eum finem præfixus est, ut Deus certò, & providè dirigat operationes liberas & contingentes; & ad creatæ libertatis concordiam cum infallibilitate scientiæ, & efficaciâ divinæ voluntatis, & gratiæ sanctificantis. Ad primam probationem dico, Sanctum Doctorem in eâ fuisse sententiâ cum ipso Aristotele; quorum vestigiis insistenti ultimo Tractatu Logicæ, libr. Periherm. disput. 3. section. 2. conclus. 2. ostendi, propositiones singulares de futuro contingenti, & libero secundum se, sive futurum sit absolutum, sive conditionatum, non habere veritatem determinatam, nec determinatam falsitatem: quam conclusionem efficaciter ratione, & autoritate probavi: ibique discipulos monui, sententiam Societatis sub ibi datâ explanatione nec in minimo lædi.

248. Ratio potissima fuit. Quia propositiones de futuro contingenti secundum se sunt illæ, quæ formantur de objecto prout est possibile possibilitate in causis; & prout sic, contingens esse, & non esse. Sed quod est contingens esse, & non esse, determinatè non est; & quod determinatè non est, determinatam veritatem habere non potest. Ergo tales propositiones de futuro contingenti; cum loquantur de objecto in signo indifferentiæ causæ, & ante ejus determinationem, non possunt habere determinatam veritatem, nec falsitatem. Quod quidem ita verum est, ut cum Divo Thomâ communis Theologorum sententia doceat, vel ipsum Deum nec in causâ liberâ, nec in alio medio indifferenti ad utrumlibet, cognoscere certò, & infallibiliter determinatè unum potius extremum, quàm aliud.

Quia ratio
propositio
ones sunt
de obje
cto possi
bili possi
bilitate in
causâ libe
râ, & in
differenti.

249. Hoc tamen non tollit, quia futura contingentiâ, sive absolutè futura, respectu Dei sito decreto absoluto, sive futura conditionatè ante omne decretum, habeant respectu Dei determinatam veritatem; ac proinde propositiones contradictorias de futuro contingenti respectu illius sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ. Ratio constat ex supra dictis. Quia respectu Dei, qui omnia ut sibi præsentia sive in esse reali, sive in esse objectivo tantum, intuetur, nullum objectum sive absolutum, sive conditionatum est futurum, sed illi præsens, & pro suâ temporis differentia coexistens. Cum ergo res dum est, necesse sit, esse, respectu scientiæ Dei tollitur contingentiâ, quâ sublatâ, objectum illarum propositionum, aut est determinatè verum, aut determinatè falsum. Undè infallibilitas, & certitudo divinæ scientiæ circa futura contingentiâ, non sumitur à medio

Veritate
pectu Dei
contracti
ctorie de
futuro co
tingenti
sunt deter
minatè vo
ræ & falsæ.

medio indifferenti ad utrumlibet; sed à suâ divina essentia, sive idæis, in quibus representantur objecta ex suppositione quod sint sive in esse objectivo tantum.

250. Quo supposito, sit primò propositiones contradictorias, quæ formantur à nobis de objectis contingentibus conditionatè futuris, habere respectu Dei determinatam veritatem, aut falsitatem ante omne decretum: quia cum Deus independentè ab omni decreto habeat idæas virtute practicas, in quibus hujusmodi contingentia, sive actusliberos conditionatè futuros cognoscit, non ut futuros; sed ut sibi objectivè, & intentionaliter præsentès; nec ut conditionatòs; cum Deus non cognoscat modo conditionato, nec discursivo: sed unico, & simplicissimo eos comprehendat intuitu ut determinatè possibiles potiùs quàm eorum oppositum; benè arguunt nostri Doctores, tales propositiones esse determinatè veras, aut determinatè falsas: ac proinde dari ante omne decretum scientiam conditionatam, mediam: Ubi enim datur medium certò cognoscendi tales veritates conditionatè futuras, consequenter est concedenda scientia & cognitio eorum. Fit secundò. Propositiones contradictorias, quæ à nobis formantur de contingentibus absolutè futuris, non posse habere veritatem determinatam, aut determinatam falsitatem ante decretum Dei. Ratio est. Quia medium cognoscendi contingentia absolutè futura, sunt idæa actu practica & determinatè ex decreto; & proposito divinæ voluntatis, ut supra docuit Sanctus Thomas. Cum ergo implicet, tales idæas esse actu practicas, & determinatas ex proposito voluntatis ante decretum, ante illud nec datur, nec dari potest medium, in quo hujusmodi veritates cognoscantur. Ex quibus sit tertio veritates de futuris contingentibus liberis & absolutè futuris, certò & infallibiliter cognosci à Deo in suis idæis actu practicis, & determinatis ex proposito, sive decreto absoluto & efficaci divinæ voluntatis: quia tales idæa representant actus liberos existentes pro suâ differentia temporis.

251. Dices. Ante decretum, & propositum divinæ voluntatis tales idæa non representabant actus liberos, & objecta contingentia secundum existentiam propriam suæ naturæ. Ergo per decretum liberum Dei additè essentia divinæ, aut ejusdem idæis aliqua virtus representatur, aut dicendum est, ab ipsis actibus liberis existentibus causari representationem, quæ eos ut existentes agnoscat. Hoc autem absurdissimum est. Ergo. Respondeo, ante decretum, & divinæ voluntatis propositum nullum objectum representari ut existens in suâ propriâ naturâ; quia

Theol.

existentia, aut absoluta futuritio serum pendet à decreto absoluto Dei; sicut enim omnia quacumque voluit, fecit, & existunt: sic quæcumque non voluit, nec fecit, nec existunt. Ex hoc autem non sequitur, per decretum Dei superaddi essentia divinæ, aut ejus idæis virtutem aliquam, quæ representent existentiam rerum in propriâ naturâ. Tum quia virtus representandi est perfectio divina: nulla autem perfectio divina advenit Deo per suum decretum liberum. Tum quia objectum divini decreti actu terminativè semper est aliquid creatum, & contingens; ut ostendimus supra contra illa Thomistarum decreta circa objecta purè conditionata. Tum quia quod essentia divina, & ejus idæa non representent ante decretum absolutum existentias rerum, non oritur ex defectu virtutis representativæ; sed ex defectu existentia rerum ante decretum. Tum quia Divus Thomas lib. 2. contra Gentes, cap. 12. num. 3. ait ibi: *Deus autem non aliter refertur ad ea, quæ sunt actu, quàm ad ea, quæ sunt potentia: quia non mutatur ex hoc, quod aliqua producit.* Et lib. 1. cap. 66. ibi: *Omne esse cujuscumque rei Deus cognoscit per essentiam suam: nam sua essentia est representabilis secundum multa, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt: Ipsa etiam est similitudo virtutis cujuslibet cause, secundum quam præexistunt effectus in causis: Esse etiam cujuslibet rei quod habet in se ipsâ, est ab eâ exemplariter deductum.* Hæc mirabiliter, & profundissimè Angelicus.

252. Ex quibus hunc discursum efficacem produco. Si esse rerum, sive earum existentia in propriâ naturâ, est exemplariter deducta ab essentia divinâ, sive (quod idem est) à suis idæis; ergo esse rerum, quod istæ habent in propriâ naturâ, prænovit Deus, antequam res in propriâ naturâ existerent, in suâ essentia objectivè tanquam in exemplari, & illius idæa. Ergo quod Deus non cognoscat existentias rerum, & actuum liberorum ante decretum, & propositum divinæ voluntatis, non oritur ex defectu scientiæ, & representationis divinæ; sed ex defectu existentia rerum, quam nisi per decretum, nulla creatura potest habere. Pater consequentia. Quia Deus in suâ essentia velut in exemplari jam præsciebat in esse intentionali, & objectivo ante omne decretum, rerum existentiam; aliàs hæc non esset deducta exemplariter, ab essentia divinâ extra causas per ipsum Deum, contra id, quod expressè tradidit Angelicus Doctor.

253. Illustratur hoc exemplo materialis speculi. Pone, quod Deus tibi objiciat in speculo speciem impressam alicujus objecti nondum existentis in propriâ naturâ; certò

Quod autem Deus ante decretum non cognoscat rerum existentias & actuum liberorum provenit ex talis existentia defectu.

Idem illi stro exemplo materialis speculi.

in tali casu videres rem illam representatam in medio illius speciei, & similitudinis intentionalis; non minus, ac modò vides Petrum à tergo existentem, per speciem, quæ ab illo impingitur in speculum: hoc solùm discrimine, quod in primâ specie solùm vides existentiam illius objecti in esse intentionale, & objectivo, quia, ut supponitur, nondum in esse suo reali & naturali existit, sicut existit Petrus. Pone rursus quod Deus postea producat tale objectum secundùm esse proprium suæ naturæ, & quidem à tergo tibi existens: in hoc ergo casu eadem species priùs impressa, quæ supponitur perseverare absque ullâ sui mutatione tibi representaret eodem modo suum objectum in suâ propriâ naturâ, quin opus esset illi addere aliquam virtutem in ratione representandi: quia quod ante non representaret suum objectum existens, non erat ex defectu representationis, & similitudinis; sed ex defectu existentia naturalis sui objecti, quæ ex Dei decreto pendebat. Hæc igitur cum ita sint, ad illud divinæ essentia speculum infinitum mentis oculos eleva, ut in illâ videas tanquam in exemplari omnia non solùm quoad essentias, sed etiam quoad existentias representari in esse objectivo & intentionali: quia est infinita omnium similitudo, quin talis scientia, & representatio à libero Dei decreto dependeat. Quod si ex efficaci divinæ voluntatis proposito res, & quicumque actus liberi extra causas producantur, & existant in propriâ naturâ, non ideo mutatur divina essentia, nec ejus scientia; sed tota mutatio, sive contingentia se habet ex parte objecti. Ex quo fit, decreta, sive absoluta, sive conditionata non esse Deo medium cognoscendi; sed solùm veluti determinativum, ut essentia divina, sive ejus idea representent absque ullâ sui additione, & mutatione res ipsas secundùm proprias eorum existentias.

Adhuc admissis decretis, conditionatis illa non essent medium conditionata objecta cognoscendi.

254. Dixi sive decreta conditionata: non quia istorum existentiam, nec possibilitatem probemus: cum satis rejecta, & à suis fundamentis sint à nobis supra concussa; sed quia adhuc datâ eorum hypothesi, non essent Deo medium cognoscendi objecta conditionata. Ratio est. Tum quia medium cognoscendi pertinet ad esse intelligibile, & intentionale, quod semper se habet ut species, & similitudo rei cognitæ: decreta autem divina propriè & formaliter loquendo, cum sint de genere volitivo, ad esse intelligibile non spectant; sed illud quodammodo supponunt. Tum quia volitio necessaria, & volitio libera nullo modo distinguuntur ex parte perfectionis actûs, & utraque est in genere volitivo. Sed volitio necessaria Dei propriè, & formaliter non est medium, in quo Deus cognoscat creaturas possibles. Ergo neque volitio libera erit medium cognoscendi

creaturas existentes, aut futuras. Major, & minor probatione non egent. Consequentia verò probatur. Quia volitio libera, & volitio necessaria se habent in suâ lineâ; sicut scientia necessaria, & scientia visionis, sive libera. Sed ex eo quod scientia libera cognoscat futura, & existentia, scientia necessaria cognoscat possible; & e contra. Ergo ex eo quod volitio libera esset medium cognoscendi futura; consequenter volitio necessaria deberet esse medium cognoscendi objecta possible: quod quidem à communi, & verâ Theologiâ peregrinum, & valdè alienum est: & idcirco potius rejiciendum.

255. Tum quia, ut supra notatum est, difficile, & multis salebris implexum est, quid addat actus liber Dei supra necessarium: cum certum sit, utrumque actum esse eandem perfectionem divinam. Ergo cum perfectio actûs necessarij Dei, adhuc juxta Thomistam non sit medium cognoscendi futura, & existentia; actus liber Dei solùm poterit esse medium ea cognoscendi ratione illius, quod addit. Ergo eisdem nodis implicatur apud Thomistas quaestio, an Deus in suis decretis futura cognoscat, ac illa, in quo consistat actus liber Dei: cum ratio istius debeat esse ratio alterius. Ratum ergo, & fixum apud nos sit, decreta absoluta terminativè sumpta solùm esse determinativum tanquam causam futurorum & existentium, ut Deus in suâ divinâ essentiâ, sive in suis idèis actu determinatis per decretum, res existentes, & futuras cognoscat: & hæc est, & semper fuit Divi Thomæ sententia. Quo autem pacto volitio, sive decretum liberum sit determinativum, ut Deus cognoscat in essentiâ suâ res existentes, & absolute futuras; si tempus vacaverit, infra dicetur: pro nunc dicere suppetat, quod sicut volitio libera absque contingentia, & mutatione sui est causa rerum contingentium, & mutabilium; sic absque ullâ mutatione determinat divinam essentiam, ejusque ideas, ut representent res existentes, atque futuras. Quæ omnia prænotari debent, ut in hæc, & aliis materiis Theologicis trictis, quæ plurimum negotii faciunt, faciliè, & opportunè expediatur.



LECTIO VI.

Abusus Scientiæ mediæ detegitur ulterius ex clarâ, & brevi solutione plurimum difficultatum à M. Gonet, & aliis Thomistis propositarum.

Quia necessitas, & summa scientiæ mediæ utilitas ex hæcenus disputatis satis elucescunt; præ inopiâ temporis cursim, & breviter expediam nonnulla argumenta, quæ ex hujus præclarissimæ scientiæ abusu Sapientissimus Gonet pro Illustrissimâ suâ Scholâ contra Jesuiticam efformavit.

Dicit x. Gonet, scientiam mediæ esse Deo inutilē ad nostros salutares actus dirigendos; cum id præstet scientia simplicis intelligentiæ.

256. Sit ergo primum argumentum. Scientia mediæ est inutilis, ut Deus dirigatur in suis decretis absolutis circa hominum salutem, & conversionem. Ergo. Probatur antecedens. Per scientiam simplicis intelligentiæ videt, in Theauris divinæ omnipotentis mediæ late, sive auxilia efficacissima, & suavissima, quibus potest hominum voluntates potenter, & suaviter ad se pertrahere, quando, & ubi voluerit: Cum Sanctus Augustinus dicat: *Quis enim tam impiè despiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere.* Ergo opus non est, ut Deus per scientiam mediæ quærat, & exploret opportunitates temporis, & loci, vel genium, complexionem, aut temperamentum hominis.

Rursus: quia aliter possibile esset homo, quem Deus convertere, & prædestinare non possit.

257. Confirmatur primò. Quia si Deus scientiâ mediæ directricem disponderet conversionem, & prædestinationem hominum; sequeretur, non repugnare ex parte rei, & Metaphysicè loquendo, quem Deus etiam de potentiâ absolutâ convertere, & prædestinare non possit. Sed hoc est absurdissimum, & repugnat supremo Dei dominio in voluntates creatas. Ergo. Probatur sequela. Ex naturâ rei non repugnat, dari hominem, qui in nullo tempore, & in nullâ occasione, & cum nullis auxiliis ex se non efficacibus velit se convertere; cum talia auxilia nullam dicant connexionem intrinsecam cum ejus conversione, quæ propter eandem rationem semper est contingens: Licet enim moraliter loquendo, impossibile sit, cum aliquo ex infinitis auxiliis illum non converti; tamen ex naturâ rei non repugnat.

Propterea pro-

258. Confirmatur secundò. Deus non potest hominem prædestinare, nisi per Theol.

scientiam mediæ prævideat eum tali vocationi responsurum, si ponatur in his, & illis circumstantiis; alioquin vel libertatis humanæ violaret, vel se exponeret periculo, quod non fieret, quod efficaciter decernit; ut assertores scientiæ mediæ docent. Atqui dabilis est casus, in quo homo in omni occasione, & circumstantiis supponatur resistens; siquidem nec singulæ vocationes, nec omnes collectivè superant resistantiam liberi arbitrii; cum nulla illarum gaudeat, juxta Adversarios, efficaciam infallibiliter, connexâ cum futuro consensu. Ergo si prædestinatio supponat necessariò directionem scientiæ mediæ, & prævisionem futuri consensu voluntatis humanæ, sequitur, esse casum Metaphysicè saltem possibilem, in quo Deus de potentiâ absolutâ hominem convertere, & prædestinare non possit.

Ad x. nego aliquid, & iterum inculco idearum diversitatem; causarum scilicet liberarum; & ipsarum actu contingenti.

259. Hæc tamen cum ex falsò præjudicio; & pingui scientiæ mediæ abusu procedant, non erit operosum, uno veluti spiritu diffillare. Unde ad argumentum respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: Per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ cognoscit voluntates hominum cum omnibus illis auxiliis indifferentes ad utrumlibet, nego: Per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus videt voluntates hominum in essentiâ divinâ, sive in suis ideis in esse objectivo, aut intentionali conjunctas cum suis operationibus liberis determinatè possibilibus, potius quàm cum earum oppositis, concedo antecedens. Et sub hac distinctione verissima sunt S. Augustini verba. Ratio solutionis constat ex dictis in antecedenti Lectione, in quâ duplicem scientiam simplicis intelligentiæ illustravimus: Aliam, quâ cognoscit operationes liberas possibles possibilitate in causâ; in illis videlicet ideis, in quibus representantur causæ liberæ cum omnibus auxiliis ut indifferentes ad utrumlibet: Per quam scientiam simplicis intelligentiæ non dirigitur, nec potest dirigi Deus ad certam, & infallibilem conversionem, & prædestinationem hominum: Alteram verò, quâ cognoscit Deus operationes liberas determinatè possibles potius, quàm earum oppositum, in essentiâ divinâ, aut in ejus ideis, prout representant in esse objectivo causas liberas, & omnia earum comprincipia conjuncta cum suis operationibus; talem autem scientiam dicimus esse conditionatam, & mediæ; & reduci non ad scientiam visionis; sed ad scientiam simplicis intelligentiæ; eò quòd ante omne decretum actu terminativè attingat veritates liberas determinatè possibles, sive conditionatè futuras,

curas, ut explicatum fuit in antelapsâ Lectione.

Theſauri
divinæ
omnipotentia, &
divitiarū
ſapientia
Dei comprehenduntur in
ſimplici
intelligentiâ utroq;
modo acceptâ. 260. Ex his duo inferes. Primum est, Theſaurus divinæ omnipotentia, & altitudinem divitiarum ſapientia, & ſcientia Dei non comprehendit in ſcientiâ ſimplicis intelligentia primo modo ſumptâ; ſed in eâ utroque modo accepta: Quia ſub utraq; ratione certò, & infallibiliter cognoscit Deus determinatè, & clarè omnes veritates, ſive quæ pertinent ad cauſas liberas ex ſua quidditate indifferentes ad utrumlibet; ſive quæ pertinent ad earum operationes determinatè poſſibiles. Secundum est, falſò ſupponi in ultimo conſequenti, Deum per ſcientiam mediam quærere, & explorare opportunitates temporis, & loci, vel genium, & complexionem hominis. Ratio est. Quia cum Deus independentè ab omni decreto habeat ſibi præſentiſſimam ſuam eſſentiam ut infinite imitabilem, conſequenterque ideas omnes, in quibus ſecundùm eſſe objectivum, & intentionale repræſentantur operationes, & actus liberi omnes determinatè poſſibiles in quibuſcumque circumſtantia, & occaſionibus poſſibilibus; non eſt illi opus quærere, & explorare, & quaſi tentare opportunitates temporis, & loci, genium, & hominum complexionem, ut eos certò, & proinde per ſua decreta abſoluta in viam ſalutis dirigat, & manuducat: Hæc enim cogitatio eſt proſuſ ridicula, & indigna Deo; ut patet in ſcientiâ viſionis, quâ, & decretis, Dei abſolutis poſitis, hæc duo componuntur; & quod omnes operationes liberae ſint contingentes in ſuis cauſis; & quod certò, & infallibiliter eas cognoscat pro ſuis temporum differentiis exiſtentes; quin opus ſit Deo tentare, & explorare opportunitates, occaſiones, genium, & hominum complexionem; eò quod omnia ſibi præſentiſſima habeat in ſua eſſentiâ, ejuſque ideas determinatis per abſoluta decreta: Quod enim dicimus de operationibus determinatè futuris liberis per decretum, potiùs quàm earum oppoſitum; abſque eo, quod per ſcientiam viſionis quidquam Deus tenter, & exploret; id ipſum affirmamus de eiſdem operationibus liberis determinatè poſſibilibus, & conditionatè futuris ante decretum abſolutum, ut poſſit Deus diſponere, quidquid velit de illis, quin tentando, & explorando procedat: Quod eſt proprium intellectûs opinantis, & conjecturaliter ſolum cognoscens.

Ad 2. &
3. reſpon-
deo. 261. Hinc ad primam, & ſecundam confirmationem in formâ diſtinguo propoſitionem illam, in quâ objicitur difficultas: Poſſibilis eſt caſus, ſaltem Metaphyſicè loquendo, quo homo reſiſtat

omnibus auxiliis, omniq; vocationi in quibuſcumque circumſtantia, & occaſionibus, ſi huiusmodi auxilia, & vocationes comparantur cum cauſis liberis ex ſua quidditate indifferentibus ad utrumlibet, concedo: Si comparantur cum cauſis liberis in eſſe objectivo, & intentionali conjunctis cum ſuis operationibus determinatè poſſibilibus, nego. Ratio primi, quam vel ipſi Thomiſta tenentur concedere, eſt primò. Quia nulla eſt hominum voluntas, quæ conſiderata cum omnibus ſuis comprinciipiis in actu primo, non ſit proximè libera, proximèq; indifferentè ad operandum, & non operandum: Aliàs de medio tolleretur libertas, & indifferentia proxima liberi arbitrii. Ergo in quacumque circumſtantia, opportunitate, & occaſione poſſibili nullus eſt homo, ſi compos eſt liberi arbitrii, qui non poſſit diſſentire. Ergo caſus ille comparatus cum humanâ voluntate ad utrumlibet indifferenti, etiam Metaphyſicè loquendo, non ſolum eſt poſſibilis reſpectu unius hominis; ſed & ejus poſſibilitas omnium hominum voluntates tranſcendit. Secundò, Quia concors eſt Thomiſtarum opimo aſſerentium, propoſitiones contradictonas de futuris conditionatis contingentibus, non habere determinatam veritatem, nec falſitatem ante decretum liberum Dei. Sed tora eorum ratio eſt; quia in medio indifferenti ut indifferenti ad utrumlibet, utrumque extremum eſt contingens, & poſſibile eſſe, & non eſſe. Ergo caſus ille comparativè ad voluntatem hominis cum omnibus auxiliis, & in quibuſcumque circumſtantia poſſibilibus, ab omnibus Thomiſtis eſt concedendus; aut inevitabilis eſt eorum inconſequentia.

262. Ratio ſecundi membri diſtinctionis eſt primò. Quia Deus in ideis, in quibus comprehenſivè cognoscit ſecundùm eſſe intentionale, & objectivum voluntates hominum conjunctas cum ſuis operationibus liberis determinatè poſſibilibus, certò, & infallibiliter prænoſcit volitiones, & nolitiones; conſenſus, & diſſenſus; pœnitentiam, & impœnitentiam; converſiones, & non converſiones; reſiſtentiam, & non reſiſtentiam in variis, & diverſis circumſtantia, ſub infinite modis, auxiliis, & adminiculis, quæ in illis ideis repræſentantur: Si enim ſcientiâ viſionis Deus certò, & infallibiliter videt homines juxta varias, & diverſas occaſiones modò converſos ad ipſum, modò recedentes ab eo; in hæc occaſione conſentientes, in aliâ diſſentientes; ſub his circumſtantia divinæ vocationi reſiſtentes, & ſe nolentes diſponere ad juſtificationis gratiam recipendam; ſub aliis verò ad illam præparari: Quare ergo hæc omnia non

Impliciter
notus au-
tem eſt, ſi
comparatur
ad cauſas
liberas in
eſſe ob-
jectivo
con-
junctis ad
ſuis acti-
bus deter-
minatè
poſſibili-
bus.

cognof-

cognoscit ut determinatè possibilis per scientiam illam conditionatam, & mediam simplicis intelligentiæ. Unde casus ille comparatus cum scientiâ illâ naturali conditionatâ, & mediâ, summâ comprehensione vidente causas liberas, & hominum voluntates conjunctas in esse objectivo, & intentionali cum omnibus suis operationibus determinatè possibilibus, in suis ideis; est non solum moraliter; sed etiam Metaphysicè loquendo prorsus impossibilis. Secundò. Quia si esset possibilis homo, qui in actu secundo semper sub quibuscumque circumstantiis, auxiliis, & occasionibus determinatè dissentiret, & determinatam operationem eliceret; non esset, unde colligeretur, talem hominem esse liberum ad dissentiendum; sed potius necessitate quadam naturâ dissentire: Sicut dicimus, solem illuminare, & ignem comburere ex suâ naturâ necessitate: Quia hujusmodi causas semper in omni eventu, & occasione cernimus ad unam operationem determinatas. Tertio. Quia ex ipsâ voluntatis indifferentiâ ad utrumlibet, colligitur esse Metaphysicè impossibile, talem voluntatem liberè non exerceri cum hâc diversitate, & varietate operandi, modò liberè volendo, postea cum eadem diversitate nolendo; quin potius hæc ipsa varietas, & inconstantia operandi arguit, atque suadet ejus libertatem. Quarto. Quia ex parte divinæ omnipotentis, & summæ sapientiæ Dei apparet etiam Metaphysicè impossibile, ei deficere infinitos modos suaviter alliciendi homines in bonum, ut eos dirigat in viam salutis. Quintò. Quia ille casus æquè urget Adversarios, & ab illis est utiquè expediendus. Quia Schola Thomistica universim cum Divo Thomâ edocet, conversionem illius, & cujuscumque hominis esse contingentem in causâ, & in eâ possibilem esse, & non esse in quibuscumque circumstantiis, & sub quibuscumque auxiliis. Ergo querendus est à Thomistis modus in eâ, quo casus ille vitetur, & absurdum nobis oppositum.

Nec valet illis favore recur- sus ad physicam præmotionem.

263. Dices, optimè vitari per efficaciam physicæ præmotionis essentialiter cum conversione connexam, quam Deus suo efficaci decreto prædeterminat. Verùm hic non est immorandum; cum toto Opusculo præjacto hujusmodi præmotionem essentialiter, & ex naturâ suâ connexam cum actu libero, ut inimicam, & totius humanæ libertatis everfivam, multis rejecerim. Præterea. Quia adhuc eâ suppositâ, non exolvitur casus difficultas. Tum quia in sententiâ Thomistarum sicut hujusmodi prædeterminatio non tollit libertatem, sic nec tollit; conversionem illius hominis esse contingentem, & in suâ

Theol.

causâ possibilem esse, & non esse. Ergo comparativè ad illam dabilis est ille casus in quâcumque occasione, & sub quibuscumque auxiliis, etiam physicæ præmotionis: præsertim cum Thomistæ suadere conentur, voluntatem adhuc sub prædeterminatione, & cum illâ conjunctam, esse liberam, & ejus conversionem in illâ contingentem, atque esse, & non esse possibilem. Tum etiam quia ex physicâ illâ præmotione redditur planè inutilis scientia Thomistarum conditionata in illis absolutis ex parte Dei, & ex parte objecti conditionatis fundata decretis. Rem ostendo. Quia Deus per scientiam simplicis intelligentiæ prævidit possibilem physicam illam prædeterminationem, sub quâ pœnitentia Tyrionum conditionata cognoscitur, aut revelatur conditionatè futura. Ergo scientiâ simplicis intelligentiæ prænovit illius quidditatem, atque naturam. Sed quidditas, & naturalis conditio illius, est, esse infallibiliter connexam cum pœnitentia Tyrionum determinatè possibili potius, quàm cum eorum dissensu. Ergo hanc infallibilem, & essentialem connexionem prævidit.

264. Tunc sic. Ergo ad cognoscendam pœnitentiam Tyrionum conditionatè futuram, inutilis est scientia conditionata posterior decreto, & in ipso fundata. Probat consequentia. Quia Deus scientiâ simplicis intelligentiæ prævidit, ignem A in tali occasione, & circumstantiis applicarum stupæ, possibiliter comburentem; inutilis, & supervacanea est scientia conditionata, ut Deus cognoscat hanc veritatem: *Si ignis A in tali occasione applicetur, aut applicatus fuisset stupæ, combustio ignis A erit, aut fuisset sub tali conditio-* Non aliâ ratione, nisi quia ignis A stupæ applicatus, habet infallibilem, & determinatam connexionem cum tali combustionem. Sed physica illa præmotio habet essentialem, & infallibilem connexionem cum pœnitentiâ Tyrionum in illis circumstantiis potius, quàm cum eorum impœnitentiâ. Ergo physicæ illæ Thomistarum præmotiones convincunt inutilitatem scientiæ conditionatæ posterioris decreto, & in eo fundatæ. Consequentia verò subillata ad probationem minoris subsumptæ, constat. Quis enim Deum consideret occupatum in his formandis decretis: *Volo, ut si sol oriatur, luceat, & dies sit; si ignis applicetur stupæ, eam comburat:* Nec aliâ viâ posse cognoscere hujusmodi veritates conditionatas? Præsertim cum ex Divo Thomâ ostensum sit supra, Deum nullum objectum comparativè ad suum actum cognoscere ut futurum, nec modo conditionato; idemque esse, Deum certò, & infallibiliter præscire actus liberos, & con-

Probo nunc inutilitatem conditionatæ scientiæ decreto posteriori.

Q3

tingen-

tingentes ut determinatè possibiles potiùs, quam eorum oppositos per scientiam conditionatam, & mediam simplicis intelligentiæ, ac certo cognoscere veritates, quas nos formamus de eisdem actibus, ut conditionatè futuras. Relinquitur ergo, ex abusu scientiæ mediæ non satis intellectæ, ejus inutilitatem à Magistro Gonet, ab aliisque ejus Scholæ Doctoribus nobis opponi.

Dixit 2.
ex nostrâ
eriâ scētē
tiâ sequi,
injustam
fore in-
crepationem
Judæorum
ex Tyrionū
cōpa-
ratione.

265. Sit secundum, Ex scientiâ mediâ sequitur idem absurdum, quod nostri Doctores objiciunt contra scientiam conditionatam Thomistarum ex illo loco Matthæi 11. *Va tibi, Corozain*, &c. sive ex comparatione Judæorum cum Tyriis. Nostorum ergo ratiocinium sic efformatur. Ideo Tyrii, & Sydonii in sententiâ Thomistarum, si factæ fuissent virtutes, &c. Certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent, quia ad eorum pœnitentiam fuisset decretum prædeterminans, & voluntas Dei efficax conferens physicam præmotionem infallibiliter cum eorum conversione connexam. Sed circa Judæos in circumstantiis illarum virtutum, & signorum Deus habuisset decretum prædeterminans, voluntatemque efficacem, vi cujus illis physicam præmotionem conferret essentialiter, & infallibiliter connexam cum eorum conversione, Judæi certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent. Ergo ex comparatione Tyriorum injustè increpantur, quod illam non egerint; cum possent respondere: Domine, infunde cordibus nostris illam physicam præmotionem ex voluntate prædeterminante, & efficaci, & certò ad te convertemur. Tunc sic. Sed hæc eadem Judæorum excusatio sequitur ex scientiâ mediâ. Ergo. Probat minor. Quia ideò Tyrii, & Sydonii, si factæ fuissent illæ virtutes, certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent, quia illis factæ fuissent, essentque auxilia collata ex scientiâ mediâ, quæ prænovit, Tyrios, & Sydonios cum illis virtutibus, & auxiliis convertendos. Sed etiam Judæi conversi fuissent, si eæ virtutes, eaque auxilia fuissent ex scientiâ mediâ collata, & in occasione, quâ prævidisset sub illis Judæorum conversionem. Ergo pari modo excusabiles forent Judæi ex illâ Tyriorum comparatione.

Id rotundè
nego, &
inefficaciam
retorcionis
pluribus
ostendo.

266. Verùm huic Adversariorum argumento, quod putant pari difficultate retorqueri in nostram sententiam, plenissimè satisfaciunt nostri Doctores, præsertim pius juxta, ac Sapientissimus Pater Joannes Gisbert tomo 2. art. 3. de scientiâ conditionatâ, §. 2. à num. 2. Respondet igitur negando, eandem excusationem sequi ex scientiâ mediâ. Primò. Quia

objurgatio Christi Domini adversus Judæos justissimè procedebat, eò quòd cum eisdem virtutibus, & signis Tyrii, & Sydonii in actu secundo pœnitentiam egissent; ut patet ex sacro textu; quam non egere Judæi: Quando ergo eisdem donis divinæ gratiæ, quibus rectè uterentur Tyrii, abutuntur Judæi increduli, meritò isti præ illis objurgantur. Jam verò cum in sententiâ Societatis virtutes, & signa facta, & reliqua auxilia tam in Judæis, quam in Tyriis, his strenuè, & benè operantibus sub illorum conditione, meritò reprehenduntur Judæi, purificatâ eadem cognitione cum eisdem virtutibus, & æquali divinæ gratiæ auxilio, iniquè agentibus: Secus autem in sententiâ Thomistarum, qui ad illam Tyriorum conversionem requirunt gratiam physicæ præmotionis essentialiter connexam cum Tyrii, & Sydonis pœnitentiâ; quam negant collatam fuisse Judæis; ex quo fit, justam fore in hæc sententiâ excusationem Judæorum propter inæqualitatem gratiæ omninò requisitæ ad operandum.

267. Secundò. Quia licet Thomistica Schola satis difficilè asserat, gratiam physicæ prædeterminationis non esse necessariam ad posse operari; nihilominus constanter asserit, eam esse ita necessariam ad actualem pœnitentiam, ut hæc sit chymærica, & impossibilis sine tali gratiâ prædeterminante. Sed objurgatio Christi Domini exemplo Tyriorum contra oblationem Judæorum, non processit comparando potentiam operandi, & non operandi Tyriorum cum liberâ Judæorum potentia; sed actum cum actu comparando; videlicet pœnitentiam illorum cum istorum impœnitentiâ: Ait enim expressè Christus Dominus, quod Tyrii pœnitentiam egissent; cujus verba actum manifestè declarant, & non potentiam. Ergo ut objurgatio Christi Domini justè afficeret Judæos, eò quòd actualem pœnitentiam non agebant sub illis virtutibus, quibus illam egissent Tyrii, & Sydonii; opus erat, Deum contulisse Judæis gratiam physicæ prædeterminationis, ut agerent pœnitentiam; quam, ut Thomistæ asserunt, contulisset Judæis, ut illam egissent.

268. Urgeo, & quidem efficaciter. Quia Christus Dominus non reprehendit Judæos, quia isti poterant pœnitentiam agere; sed quia actu illam non agebant, sicut Tyrii, & Sydonii eam actu egissent. Ergo justissimè exposcebat à Judæis actualem pœnitentiam. Sed actualis pœnitentia, & conversio Tyriorum sine physicâ illâ prædeterminatione actualiter existentem, & præmovente voluntatem Judæorum, erat.

Deinde
quia Chr.
Domini
objurga-
tio non
procedit
ex com-
paratione
potentiæ
ad poten-
tiam; sed
actus ad
actum.

Inde ut-
geo effi-
caciter
Thomistæ
stas.

erat chymærica, & impossibilis; ut Thomista uno ore fatentur. Ergo Christus Dominus petebat à Judæis pœnitentiam chymæricam, & impossibilem. Justè igitur Judæi in querelas effusi, dicerent: Domine, quid mirum, quod Tyrii pœnitentiam actu egissent, si Deus illis contulisset physicam præmotionem, quâ illam agerent, & sine quâ non egissent? Da nobis physicam præmotionem, & similiter certò ad te convertemur, sine quâ conversio nostra actu est impossibilis: Si ergo Deus eam nobis non infundit; sed potius denegat; quò tuo objurgatio; cum à nobis exigas actualem pœnitentiam sine physicâ præmotione impossibilem prorsus, atque chymæricam?

Ut Deus sufficientia, & necessaria homini. bus auxilia cõferat per accidens est scientia prævidens eorū bonū ulum, vel abusu.

269. Tertio. Quia dummodò Deus conferat auxilia sufficientia, & necessaria, quibus homines non solum possint operari; sed actu benè operentur; si velint; ad laudem rectè operantium, justamque objurgationem, & supplicium iniquè agentium; per accidens est, talia media, ac auxilia conferri ex certâ scientiâ, quâ prævidit in his hominibus ex eorum abusu non habitura effectum; in aliis verò divinis donis benè utentibus, effectum conversionis, aut rectæ operationis sortitura. Quod est valde notandum, & multis suaderi potest. Primò. Quia auxilia divinæ gratiæ ex parte Dei quibusdam conferri ex certâ scientiâ conditionatâ, sive mediâ; imò & ex affectu speciali, sive præfinitione efficaci bonorum operum; aliis verò ex prævisione conditionatâ de auxiliorum abusu; hoc pertinet ad altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; & ut humili veneratione dignoscamus, quàm incomprehensibilia sint judicia Dei; non verò ad rectum, vel pravum auxiliorum usum ex parte hominum; ita, ut scientia, & voluntas Dei sint principia intrinseca voluntatis humanæ. Prima pars ostenditur. Tum quia ita clamant scripturæ: Apostolus ad Roman. 9. Ergo cujus vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat. Dices itaque mihi, quid adhuc queritur? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Ad quem locum Divus Thomas Opusc. 63. num. 50. sic ait: Item licet teste Apostolo, incomprehensibilia modò sunt judicia Dei de damnandis, & investigabiles via ejus de salvandis; ibi tamen (scilicet in Patria) comprehendet anima, quod universa via Domini fuerunt misericordia, & veritas O quam occulta sunt in presenti divina judicia! Quis enim investigare potest, cum dixerit Dominus: Jacob dilexi, & Esau odi habui; antequàm nati essent, quod vitium detestaretur in Esau, & quam virtutem diligeret in Jacob; cum nullum judicet; nisi secundum præsentem justitiam? Similiter cum

duo pueri portantur ad baptismum; unus natus de fidei moritur ante baptismum, descendens in lumbum; alter natus de infideli, post baptismum moriens, evolat ad Cælum. Similiter quare Judam finaliter cadere, permisit, & nullum alium Apostolorum, &c. Hæc enim inscrutabilia Dei judicia cum ad investigabiles divinæ scientiæ, & voluntatis divinæ vias spectent, nec liberum modum operandi voluntatis immutent; nec tollunt, ut ait S. Ambrosius lib. 2. commentar. Lucæ cap. 2. *Quia justorum, iniquorumque merita discernas, & pro nostrorum qualitate factorum Judæi verus, & justus aut supplicia decernat, aut præmia.*

270. Secunda illius rationis pars ostenditur. Tum quia in nostrâ sententiâ cum impii habeant intrinsecè ex parte suæ voluntatis media, & auxilia omnia necessaria, seclusâ ineluctabili illâ physicâ præmotione, quibus non solum possint benè operari, & disponi ad gratiam justificationis; sed etiam quibus actu benè operentur, & ad eam, quantum est in se disponantur, si velint, & nisi eis resistant, & actu malè operentur. Tum quia verba Divi Petri epist. 2. cap. 1. veritatem hujus Theologiæ luculenter demonstrant; dum sic omnes exhortatur, ibi: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Ex quibus sic arguo primò. Certum est, Apostolorum Principem ut Vicarium Christi Domini, & totius Ecclesiæ Magistrum, hanc verissimam Theologiam minimè ignorasse; nimirum Deum ex inscrutabili suæ bonitatis, & misericordiæ judicio plures homines præ aliis speciali affectu diligere; idque oriri ex certitudine suæ præscientiæ, & speciali voluntate, indubitabile est. Sed his non obstantibus, absque personarum discrimine omnes homines hortatur, ut suam vocationem per sua bona opera certam faciant; non enim dixit: *Satagite, ut possitis certam vestram vocationem facere; sed potius ut in actu secundo, gam vocationem certam faciatis.* Ergo ex verbis Beatissimi Petri hæc duo conciliare, necesse est; quod omnes homines habeant à Deo media, & auxilia gratiæ necessaria, non solum ut suam vocationem certam possint facere; sed ut illam in actu secundo certam faciant.

Nò autem spectare ad rectū, vel pravū auxiliorū usū; ita, ut scientiæ, & voluntatis Dei sint principia intrinseca voluntatis humanæ; probatur ex 2. Petri cap. 1.

271. Tum sic. Sed ex primo sequitur, quod nullus hominum possit justè, & legitime excusari, si suam vocationem certam non efficiat; quidquid sit de certitudine scientiæ, & speciali voluntate Dei; cum jure ab illo exigat Deus, ut actu benè operetur, beneque divinis utatur auxiliis,

Ex 1. sequitur, nullū hominem posse justè excusari.

xiliis, & donis divinæ gratiæ, quæ ei intrinsecè confert, non solum ut possit honestè operari, sed etiam ut actu honestè operetur, si velit. Ergo si malè operetur, non potest justè excusari ex eo, quod ea dona non ei contulerit ex certâ scientiâ, aut speciali voluntate rectæ operationis: nam certitudo divinæ scientiæ, & specialis voluntas sicut nullam necessitatem imponunt humanæ voluntati ad operandum; sic nec ejus libertatem minuunt, nec benè operandi obligationem tollunt. Relinquitur ergo inexculabiles reddi Judæos, eo quod illas virtutes eis non fecerit, nec signa ediderit ex infallibilitate, & certitudine scientiæ mediæ, sive conditionatè ut à nostris Doctoribus constanter propugnatur.

Ex 2. auctè
evidenter
infertur,
vel Deum
omnibus
hominibus
Thomisticam
præmotionem
conferre, vel
eam non
esse necessariam,
ut actu benè
operetur.

272. Ex secundo verò sequitur, vel Deum conferre omnibus hominibus physicam gratiæ præmotionem essentialiter connexam cum bonis operibus, & eorum conversione; aut physicam præmotionem non esse eis necessariam, ut actu benè operentur. Sequelam negant Thomistæ quoad utramque partem; eam tamen utrimque sic ostendo, Primò. Quia homines per bona opera certam facere suam vocationem; est ipsos actu rectè, & honestè operari. Sed Divus Petrus omnes hortatur, ut per bona opera certam suam vocationem faciant. Ergo omnes homines habent auxilia necessaria, quibus actu benè operentur, & per bona opera certam suam vocationem faciant. Tum sic. Sed juxta Thomisticæ Scholæ principia, homines actu benè operari, & actu per bona opera certam suam vocationem facere, absque illâ physica prædeterminatione humanæ impressæ voluntati, est Chymæricum, & impossibile. Ergo aut omnes homines habent à Deo physicam præmotionem; aut eos Divus Petrus accendit, & hortatur ad rem chymæricam; & impossibile. Secunda pars probatur. Quia exhortatio Divi Petri, ut omnes homines actu rectè operentur, & per sua bona opera suam vocationem actu efficiant; supponit in omnibus hominibus mediâ & auxilia necessaria, quibus rectè operentur, certamque suam vocationem faciant; aliàs exhortatio Sancti Petri inutilis esset, ut ex ipsis terminis constat. Sed ex Thomistarum principiis non potest supponi in omnibus hominibus physica præmotio: aliàs omnes homines actu benè operarentur, actuque suam operationem certam facerent, cum præmotio collata ad illam, sit infallibiliter, essentialiter, & metaphysicè cum illa connexa. Ergo signum est, physicam illam præmotionem non esse necessariam, ut homines rectè, & benè operentur.

Deinde ar
guo ex illâ
auctè.

273. Quartò. Quia, ut constat ex textu Sancti Pauli, quem supra cum Divo Thomâ expendimus, Deus vult omnes homi-

nes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quam voluntatem antecedentem ex parte Dei esse sanam, & ex infinitâ suâ bonitate procedere, negari non potest. Ergo vi talis voluntatis antecedentis omnibus hominibus præparat & confert mediâ, & auxilia necessaria, quibus, si velint, & per ipsos non stet, omnes homines actu salvi fiant, & ad agnitionem veritatis actu deveniant. Patet consequentia. Quia, ut constat ex verbis Apostoli, voluntas illa Dei non dirigitur ad potentiam, sed ad actum: non enim voluit, omnes homines posse salvari, sed salvi fieri; nec posse venire ad fidem, & veritatis agnitionem; sed ut actu deveniant. Tum sic. Sed Deus vi talis voluntatis antecedentis non præparat, nec confert omnibus hominibus physicam illam præmotionem; ut vel ipsi Thomistæ concedere tenentur. Ergo physica præmotio essentialiter & metaphysicè connexa cum honestâ & bonâ operatione, non est necessaria, ut homines rectè, & honestè actu operentur, neque ut actu salvi fiant, neque ut actu credant. & ad cognitionem veritatis deveniant. Quod quidem ipsâ doctrinâ Magistri Angelici roboratur, ut constat ex supra datâ autoritate, in quâ Sanctus Doctor expressè docet, vi talis voluntatis antecedentis præparari à Deo omnibus hominibus auxilia necessaria, ut si velint, salvi fiant. Ex quibus, & aliis, à quibus temporis penuriâ cogit abstinere, & quæ latè prosequuntur nostri Doctores, facile constat, latissimum esse discrimen inter certitudinem scientiæ mediæ, & physicam præmotionem vi decreti prædeterminantis, humanæ voluntati impressam, ita ut excusatio Judæorum ex defectu illius, cum eam Tyriis, & Sydoniis Deus contulisset, in nostram sententiam nequeat ullatenus retorqueri.

274. Hinc ut varia absurda, quæ ex scientiâ mediâ infert Gonet, & absque ullo negotio expediamus, eaque ex abusu talis scientiæ ortum & causam duxisse, demonstramus. Sequentes illationes oportet observari. Prima est, minime lequi ex scientiâ mediâ Deum moveri ad conferendam gratiam, & prædeterminatis ab ipso, nec ad inferenda supplicia impiis & peccatoribus; nec initium justificationis ex operibus conditionatè futuris aliquo modo sumi. Ratio est clarissima. Quia opera conditionatè futura vel considerantur secundum esse objectivum, & intelligibile, quod habent in divinâ essentiâ, aut in suis idæis; vel quatenus simplici quâdam intelligentiâ cognoscuntur in illo medio secundum eorum quidditatem atque naturam. Si primum: talia merita sunt ipse Deus: quia creaturæ secundum esse, quod habent in divinâ essentiâ, nihil aliud sunt, quam expressa, & substantialis similitudo earum; sicut Petrus secundum

si vel no
luntate, ut
hominibus
omnes sal
vi fiant.

Nô sequi
tur ex sci
entiâ mediâ
Deum
moveri ad
conferen
dam gra
tiam ex
meritis
conditio
natis, nec
ad inferen
da supplicia,
&c.

secundum esse, quod habet in imagine, sive specie speculi, non est proprie homo; sed similitudo accidentalis, & intentionalis hominis: cum ergo in hoc sensu opera & merita conditionate futura non sint operationes humanæ proprie, sed solum similitudines, & idæ humanorum actuum, non potest moveri Deus ex illis tanquam ex meritis ad conferendum præmium gratiæ & gloriæ: sicut Rex si haberet sibi præsentem similitudinem & imaginem alicujus pugnæ, & victoriæ suorum ducum & militum; antequam isti reipsa & secundum propriam naturam pugnarent, & triumphum reportarent, non moveretur ex gestis, pugnâ, & victoriâ solum per imaginem, & similitudinem cognitis, tanquam ex merito ad conferenda præmia ducibus, atque militibus: càm similitudo gestorum, pugnæ & victoriæ nec sit meritum, nec militibus possit tribui in laudem & proprium obsequium.

Si a. non habet esse reale, & in propria natura, & sic nec possunt moveri merita vel demerita.

275. Si verò secundum dicatur: cum talia merita, & operationes conditionate futuræ considerentur secundum suam quidditatem absque ullo esse, sive existentia nec in propria natura, nec in Deo; certò certius est non posse tanquam meritum, & obsequium movere. Tum quia quod nullum habet esse creatum, non potest esse creaturæ meritum movens ad conferendum aliquid non solum ut præmium; sed nec sub alio titulo dispositionis, &c. Tum quia exemplo speculi supra adducto hujus doctrinæ veritas evidenter convincitur. Finge casum, & quidem satis divinæ Omnipotentia possibilem; quod scilicet species intentionales aliquorum hominum, ut Antichristi, & aliorum, antequam hi existant in sua propria natura imprimat alicui speculo materiali eo ordine, quod eorum vitam, bonas & malas actiones quæ absolute pro suis temporum differentiis futuræ sunt, nobis clarissime representent. In hoc igitur casu peccata, & abominations Antichristi cerneret, videret aliorum hominum laudabiles, honestasque actiones, victorias Martyrum, qui futuris temporibus in sua propria natura existentes, profuso pro fide sanguine, præclaris meritis comparabunt. Omnia igitur hæc in illis speculi speciebus tanquam in medio earum actionum, peccatorum, & meritum expressivo, absque dubio vel ipsis oculis præviderentur: quin de possibilitate casus dubitari possit, si mentem convertas ad revelationes, Prophetias, Apocalypseos arcana, & alia id generis, in quibus res, & operationes hominum futuræ virtute divinâ per quædam exemplaria, & veluti similitudines, antequam existant in sua propria natura prænunciantur. His ita.

Inde Gonetu con- sulo, & est sicacissimè im- pugno.

276. Consulo Sapientissimum Gonet, primò, an Deus ex pravis & indignis operibus Antichristi, quæ modo dicto in speciebus speculi repræsentantur, moveatur ad re-

Theol.

probationem Antichristi, ei infligendo supplicia? Secundò. An item honestis operibus, martyrio, aliisque bonis actionibus Virorum Illustrium, quæ similiter in aliis speciebus speculi repræsentantur, & à nobis videntur; Deus exciteret, & moveatur tanquam ex meritis ad conferendam gratiam & gloriam, & alia auxilia illis hominibus, in propriâ suâ naturâ postea exituris, aut existentibus? Quid hic Gonet, Vir quidem inter Thomistas pietate & doctrinâ præditus? Certè quocumque vertat suæ Theologiæ clypeum, respondere tenetur, Deum, Maximum & Justum neque ex operibus Antichristi tanquam ex demeritis, neque ex martyrio, aliisque Virorum Illustrium honestis actionibus tanquam ex meritis objectivè in similitudine suarum specierum repræsentatis, fore ullo modo movendum, nec ad infligendum supplicium Antichristo in propriâ suâ naturâ existenti, nec ex operibus, martyrio, & honestis aliis actionibus in eis speciebus similiter repræsentatis, fore excitandum, ut conferret gratiam, gloriam, vel quodlibet aliud præmium etiam naturale Illustribus illis Viris, secundum esse physicum, & proprium suæ naturæ existentibus. Cujus evidentissima ratio omnibus in cõfesso debet esse, tum quia peccata Antichristi sic in illis speculi speciebus intentionaliter visa & repræsentata, non sunt proprie demerita, & peccata; sed solum improprie & per similitudinem: sicut & ipse Antichristus in suâ specie repræsentatus & visus, non esset homo proprie; sed solum improprie & per similitudinem homo. Similiter martyrium; & bona illa opera reliquorum hominum non essent propriæ actiones honestæ, nec propriè merita; sed solum improprie, & per similitudinem. Ex demeritis igitur non propriis; sed solum in repræsentando, & per similitudinem; justissimus Judex moveri non potest ad veram, & propriam pœnam infligendam Antichristo, nec aliis hominibus in suâ propriâ naturâ existentibus: nec in bonis operibus, sive meritis improprie, & per solam repræsentationem, potest rectissimus suorum donorum dispensator Dominus induci ad vera, & propriæ suæ gratiæ dona conferenda. Tum etiam quia illa sive demerita, sive merita, quæ in illis speciebus speculi repræsentantur per similitudinem, nec essent libera, nec imputabilia ad laudem, & vituperium hominibus, adhuc in propriâ suâ naturâ non existentibus. Ergo propter illa Deus nec punire posset, nec præmio afficere.

277. Ex his opus jam est, arrigat aures eruditus Gonet, & mentem nobiscum ad illas divinæ essentia idæas cum Magistro Angelico, & Magno Augustino elevet. Igitur absque ullâ opposita partis formidine pronunciamus, Deum ante omne decretum pronoscere in suis idæis omnes liberas operationes

Discursum elevo elevo ad illud divinum speculum idæale exprimens omnia bona

R

tionis

justorum,
& pessima
impiorū
opera.

tionem, omniaque bona justorum opera, etiam antequam isti existant; & quidem longè perfectiori modo, ac res nondum existentes in prædictis speciebus speculi præviderentur: quia tamen illi actus liberi non sunt propriæ actiones humanæ, nec propriè merita: sed solum impropriè, & per similitudinem, non potest Deus moveri ex illis tanquam ex meritis ad conferendum hominibus gratiam, nec ullum aliud præmium verum & reale, dum existunt in propriâ existentia. Jam verò cum ex dictis. & supra probatis constat, scientiam illam, quâ Deus præcivit illas operationes, sive bona opera determinatè possibilis, sive conditionatè futura, esse scientiam conditionatam, & mediam; manifestè colligitur, & concluditur, ex scientiâ mediâ minimè sequi absurda illa, quæ ex pingui ejus abusu nobis imputat Gonet; Deum scilicet moveri ex meritis conditionatis ad conferendam gratiam hominibus, ac proinde nostræ justificationis initium non à Deo; sed à nostris operibus conditionatè futuris derivari.

Sententia
nostra in-
finitè di-
stata à Pe-
lagianis &
Semipela-
gianis.

278. Unde colliges primò nostram de scientiâ mediâ sententiam non solum procul abesse ab omni Pelagianismi, & Semipelagianismi suspitione, ut ex eâ potius, & ex doctrinâ pro illius illustratione nuper datâ, Sectariorum errores solidissimè convellantur. Colliges secundo D. Augustinum, & Angelicum Thomam pro scientiâ conditionatâ & mediâ reipsâ stetit; licet verum sit, talia nomina eis usui non fuisse. Quare præclara hæc sanioris Theologiæ lumina solum certarunt, acriterque invaluerunt contra talis scientiæ abusum. Primum ostenditur ex S. Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 8. loquente de his, qui non sunt rapti à Deo, ne malitia mutaret intellectum: Ibi: *Respondent, si possunt (scilicet Pelagiani) cur illos Deus, cum fideliter, & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum; utrum hoc in potestate non habuit; an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum, nisi perverissimè, & insanissimè dicitur.* Sic S. Doctor apud Gonetum disp. 5. de scientiâ conditionatorum. art. 1. §. 1. Ex quibus discursus iste producitur. *Insanissimè dicitur, Deum non potuisse rapere plures homines, dum piè & fideliter vivebant, antequam malitia mutaret eorum intellectum.* Ergo liberum fuit Deo velle eos rapere ante illud tempus, & occasiones, in quibus prævidebantur peccaturi. Ergo ante omne decretum prævidit Deus eorum peccata conditionatè futura. Probatur hæc consequentia. Quia in eo signo, in quo Augustinus asserit, Deum habuisse potestatem rapiendi homines, dum piè vivebant, antequam peccassent, non erat decretum actu terminativè subjectivè ex parte Dei; sed solum volendi potestas. Sed in eo signo præ-

vidit Deus certò & infallibiliter eos homines, si diu viverent, & ante non raperentur, peccaturos. Ergo in illo signo ante omne decretum habuit scientiam de illis peccatis determinatè passibilibus, & conditionatè futuris. Major constat. Quia in eo signo, in quo consideratur Deus potens rapere, & non rapere eos homines, antequam fictio deciperet animas eorum, nec erat, volitio, nec volitio rapiendi tales homines Minor probatur. Quia aliter potuisset Deus velle, quod in illo signo nesciebat: quod quidem perverissimè & insanissimè diceretur, ut constat ex illis Augustini verbis: *An eorum mala futura nescivit? Quod quidem de futuris conditionatis, & determinatè passibilibus intelligi debet: cum vel ipsi Thomistæ asserant, peccata absolutè futura non cognosci, nisi post Dei decretum absolutum & efficax.*

279. Secundum verò ex eodem Augustino in lib. de bono perseverantiæ, cap. 9. facile probatur; ibi enim sic alè pronunciat: *Si etiam secundum facta, qua facturi essent, si viverent, mortui judicantur, profectò qui fideles futuri erant (Tyri nimirum & Sidonii) si cum tantis miraculis esset prædicatum Evangelium, non sunt utiq; puniendi: puniuntur autem: falsum est igitur, secundum ea mortuos judicari, qua facturi essent, si ad viventes Evangelium perveniret.* Constat ergo, neque homines esse puniendos propter peccata, quæ sub conditione fuissent, nec remunerandos propter bona opera conditionatè futura: solumque aperto Marte pugnasse Magnum Augustinum contra abusum scientiæ mediæ, & conditionatæ: non verò contra ipsam scientiam: cum scientia conditionata non nisi perverissimè, & insanissimè possit negari Deo Opt. Max. ut ex illius verbis clarè constat.

280. Dices, ex prædictâ doctrinâ sequi prædestinationem electorum ad gloriam non fuisse in Deo ante merita absolutè prævia. Fateor, id sequi, & hanc fuisse sententiam Sanctorum Augustini & Thomæ: qui distinguens voluntatem Dei antecedentem, quæ vult omnes homines salvos fieri; & voluntatem consequentem, quæ justos ad gloriam e-legit, malos autem reprobavit, & destinavit ad pœnam: non aliam rationem assignavit, nisi quia æquum, & rationi consonum est, bene operantes præmiari; sicut & male agentes supplicii affici. Sed antequam pro suâ differentia temporis existant opera bona & mala, homines nec bene, nec male agunt. Ergo antequam bona & mala opera existant, nec illos remunerari æquum est, nec justum istos ad pœnam per definitivam destinari sententiam. Rursus, ut dictum est, merita, aut demerita, antequam à Deo pro suis temporum differentiis prævideantur existere, licet certissimè cognoscantur à Deo, non tamen cognoscuntur ut propriè merita, nec ut propriè demerita, nec ut propriè libera, & propriè hominibus

Aliud Au-
gustini
lib. de bo-
no perse-
ver. c. 9.

Cum Au-
gustino &
Thomâ
sentio, ele-
ctorum
prædesti-
nationem
non fuisse
in Deo an-
te merita ab-
solutè præ-
via.

hominibus imputabilia, sed solum ut merita, & demerita per similitudinem. Sed rectissimus iudex non potest ex delicto non cognito in propria natura, sed solum obiectivè, & per similitudinem apprehenso, rationabiliter moveri ad ferendam veri supplicii sententiam: Nec bonus remunerator ex obsequiis, & meritis impropriis; & per similitudinem obligari, aut moveri ad vera præmia largienda. Ergo. Hæc enim cursum, & brevi calamo dixerim, mentem aperuisse sufficiat, ut constet de consequentiâ, & connexionè doctrinæ.

LECTIO VII.

Alia M. Gonetii dissolvitur argumentum adversus Concordiam gratiæ efficacis, & liberi arbitrii cum Scientiâ Mediâ.

Tangitur perdoctus hic Author frequenti impugnandi scientiam mediâ pruritu; & quia certitudo, & existentia ejus ante omne actuale decretum ex parte Dei, à nostris Doctoribus potissimum commendatur; ex hoc maxime, quod viam sternit ad facile expediendas difficultates, quæ in Scholis frequenter occurrunt tum inter Catholicos, tum adversus hæreticos, circa efficaciam divinæ voluntatis, scientiæ, gratiæ, & liberi arbitrii; in eum scopum suæ Theologiæ clypeum intendit, ut prober, scientiam mediâ derogare omnipotentiae divinæ, & efficaciam divinæ gratiæ. Videatur ille disputat. 6. de scientiâ mediâ, artic. 6. §. 6.

Opponit Gonet, scientiam mediâ divinæ omnipotentiae derogare, & gratiæ efficaciam tollere; & nos cum Semipelagianis sentire.

281. Opponitur enim primò. Quia consensus non ponitur à scientiâ mediâ, nec prævidetur ab illâ ut proveniens à determinatione gratiæ infallibiliter agentis, & inclinantis ad illum; sed ponitur ut determinans ipsam gratiam, quæ de se indifferens est, & per consensum à libertate ortum, non à Deo præfinitum, & prædestinatum auxilium ipsum determinatur, & redditur efficax. Ergo non prævidetur consensus ut ab omnipotentia Dei, ejusque gratiâ; sed sub illo adjutorio illi absoluto à libertate enascens, sicut olim asserabant Semipelagiani. Ergo scientia mediâ derogat omnipotentiae divinæ, & tollit efficaciam gratiæ. Probat assumptum ex verbis Fulgentii de Incarnat. & gratiâ, cap. 29. ibi: *Quomodo Deus omnia, quæ vult, facit, si volens hominem saluum fieri; cujus salus non nisi à bonâ incipit voluntate, ipsum velle non in homine inchoat; sed ut ab ho-*

Theol.

mine nascatur, expectat? O quàm pessimum nefas asseritur, dum gratia Dei contumaciter repugnatur; & homines opera Dei se in bonum mutari negant..... ut Deus, qui creator est hominis, valeat hominem facere non mutare; & qui nullus eget adjutorio, ut hominem faciat; operari tamen, quod vult, in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle reperiret! Hanc, inquit, amenitiam & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus. Ita ibi. Sed hæc omnia sequuntur ex scientiâ mediâ; & per physicam divinæ gratiæ prædeterminationem intrinsecè, & essentialiter connexam rectè componitur, quomodo Deus inchoet in voluntate bonum consensum. Ergo.

282. Opponitur secundò. Quia cum omnis causa, præsertim prima, debeat esse prior saltem naturâ, & causalitate effectû, tantum abest, quod sit impossibile, Deum causare liberum nostrum consensum per aliquid illud ex sua naturâ inevitabiliter prædeterminans, quin potius contradictionem implicet, quin aliter liberum consensum causet, ac efficiat. Tertio. Quia suppositâ scientiâ mediâ, v. g. de conversione Petri futurâ, si ponatur in his, & illis circumstantiis; vel potest, stantibus illis conditionibus, divina voluntas velle oppositum, vel non potest id velle? Si primum: Illa scientia non erit infallibilis: Si verò postâ illâ conditione, & cognitâ per scientiam mediâ determinatione voluntatis Petri conditionatè futurâ, Deus non possit oppositum velle pro illo statu conditionato, diminuta est omnipotentia, & libertas divinæ voluntatis circa tale objectum, & circa omnes alias combinationes liberas conditionatas; & aliquid est liberum, & possibile voluntati creatæ, quod non est possibile, nec liberum voluntati divinæ. Confirmatur. Pœnitentia Petri sub illis circumstantiis, in quibus per scientiam mediâ prævidetur conditione futura, est libera voluntati Petri, & ab eâ possibilis impediri. Ergo si ea non sit libera voluntati, & ab eâ possibilis impediri, omnipotentiae divinæ, ejusque libertati derogatur. Sed juxta scientiæ mediæ assertores talis conversio nec est Deo libera, nec ab eo impedibilis. Ergo. Minor subsumpta probatur. Tum quia talis conversio conditionatè futura, cum sit ante omne decretum, non potest esse Deo libera. Tum quia scientia conditionata non est libera ex parte subjecti, sed solum ex parte objecti. Tum quia talis scientia non potest per voluntatè divinam falsificari. Ergo talis conversio non est Deo libera, nec possibilis à Deo impediri. Quarto. Ex variis locis Sanctorum Patrum, Augustini de gratiâ, & libero arbitr. cap. 16. ibi: *Deus facit, ut*

Alia dicitur plicia. tione nos conatur impetere.

R 2

facia-

faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntari: Et lib. 2. contra duas epistolas Pelagii, cap. 20. ibi: *Deus cor Regis occultissimam, & efficacissimam potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem.* Hæc autem omnia absque gratiâ intrinsicè prædeterminante bonum consensum, salvari non possunt.

Omnia hæc ex falso præiudicio laborant.

283. Verùm hæc, & alia contra scientiam mediam superstructa, cum ex falso præiudicio, & abusu illius malè materialia procedant; ex dictis supra facilè corruunt. Tum quia cum consensus conditionatus solum sit talis per similitudinem, & objectivè, non est aliquid nascentis propriè ab humanâ libertate; sed solum representativè: Nec, ut dictum est, ex illo potest moveri Deus ad aliquid homini elargiendum, solum ex infinitâ suâ bonitate. Tum quia omnipotentia Dei, & ipsius libertas non alium effectum, aut terminum sibi præfigunt, nisi propriam causarum, & earum effectuum existentiam. Unde quod Deus in suis idæis certò prænoscat sub auxiliis, & suæ gratiæ donis Petri conversionem, & alios actus liberos conditionatè futuros, vel determinatè possibiles, juxtâ explicationem in superioribus datam; non tollit, quin Deus ut omnipotens, & summè liber, possit in ordine ad propriam eorum existentiam liberè de iis omnibus disponere, aut non disponere, prout ipsi placuerit. Tum quia non pertinet ad omnipotentiam, & divinam libertatem agere contra id, quod certò in suis idæis prænovit, licèt ea, quæ prænoscat, sit ei liberum facere, & non facere; quod est valde diversum, & in quo maximè hallucinatur Gonetus.

Id cõpiti-
cua ratio-
ne suadeo
desumptâ
ex divinis
idæis.

284. Ratio est. Quia, ut probavi supra ex SS. Patribus, negari non potest, Deum, antequam mundum conderet secundum omnia sive libera, sive necessaria, quæ sub hæc rerum serie in eo geruntur, in infinito suæ divinæ essentiæ Thesaurò præhabuisse idæas totius fabricæ; alias non fuisset infinitus, & sapientissimus artifex; quin ex eo liceat inferre, Deum non fuisse omnipotentem, & summè liberum ad producendum, vel non producendum extrâ, & in propriâ suâ naturâ mundum illum idæalem, & per similitudinem, quem sibi objectivè præsentem habuit in suâ essentiâ, sive in ejusdem idæis: Quia tamen sapientissimus artifex si velit operari sua artefacta, & opera, debeat dirigi, & regulari per idæas, quas de illis habet; non potest non operari nisi per conformitatem ad illas; alias Deus à suâ divinâ artè, & sapientiâ deficeret in operando. Relinquitur ergo, quod omnipotentia, & perfectissima Dei libertas salvantur in eo, quod Deus

possit pro suo nutu facere, & non facere ea; quæ in suis idæis tamquam in medio certò cognoscit; non tamen posse, si velit juxtâ tales idæas operari, res aliter fieri, ac in illis repræsentantur: Cum non possit Deus tales idæas, & præscientiam in illis tamquam in medio cognoscendi fundatam, falsificare. Ex quibus sit, Deum posse conversionem Petri prævisam sub illis circumstantiis conditionatè futuram, efficere, & non efficere: In quo stat Dei omnipotentia, ipsiusque suprema libertas. Ast si velit operari juxtâ idæam illam, in quâ talem conversionem prævidit determinatè possibilem, aut conditionatè futuram sub illis auxiliis, occasione, & circumstantiis, non poterit contrarium velle, aut efficere; cum certitudinem suæ scientiæ falsificare non possit. Ad illud autem de efficaciâ divinæ gratiæ de scientiâ conditionatâ, quamvis multiplex, & satis congrua nostrorum doctrina suppetat; ex manuscriptis de gratiâ pro solutione argumenti necesse erit aliqua perstringere; non tam rem professo calamo disputando, quam attingendo principia, quibus præfato argumento satisfiat; quod utriusque Scholæ scriptores in suis libris, & tractatibus de hoc prælo datis, frequenter præstant.

*Expenditur Solutio R. P. M.
Joannis Sandin.*

285. **H**ic Author inter Scotistas cultissimo ingenio præditus, nec physicis Thomistarum prædeterminationibus acquiescens, nec scientiæ mediæ Jesuitarum omninò fidens, quin porius utriusque opinionis recens, & acerrimus oppugnator, tract. 5. de gratia actuali, sect. 2. mediam, & peculiarem viam aggressus est; asserit enim, efficaciam gratiæ consistere in vocatione sic attemperatâ voluntati, ut voluntatem moraliter, & infallibiliter determinet ad positionem actûs. Pro quâ assertionem illustrandâ pariter, ac suadendâ plura supponit: Primò scientiam mediam non esse necessariam Deo nec ad directionem prædestinationis, nec præiudicationis. Cujus ratio est. Quia ad hoc sufficit scientia simplicis intelligentiæ. Tum quia per scientiam istam cognoscit Deus, repugnare hominem, quem mediis suis auxiliis non possit liberè convertere. Ergo per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit, esse in suâ potestate conferre auxilia, per quæ infallibiliter conversio ponatur. Sic habet tract. 4. disput. 8. sect. 2. §. 2. Tum quia si decretum collarivum auxilii ad consensum, necessariò prærequirit esse directum à scientiâ mediâ, sequitur eum, qui vocationi dissentit, non fuisse libe-

Magist. Sandin in scientiam mediam inturgit, eâ contra inartiter suadere.

liberum ad consensum; cum non habuerit decretum ex parte Dei directum ex scientiâ mediâ, quod supponitur necessariò requisitum ad consensum. Sic ille loco citato, sect. 3.

Deinde dicit, optimè componi, quod inter antecedens, & consequens fit illatio moraliter infallibilis scientiæ eorum de illâ Metaphysicè certa.

286. Supponit secundò. Optimè componi, quod inter antecedens, & consequens tantum sit illatio infallibilis infallibilitate morali; & quod scientiæ talis illationis sit certa certitudine Metaphysicâ. Quod sic probat. Hæc propositio: *Si voluntas creata destituatur auxilio efficaci, & gravi tentatione tentetur consentire; est propositio infallibilis infallibilitate Metaphysicâ; similiter hæc: Si homo iustus specialissimâ gratiâ destituatur, aliquid peccatum veniale committet: Quia plures sunt occasiones peccandi, & summa est humana fragilitas. Sed inter tentationem gravem, & consensum, tantum datur connexio, aut illatio moralis; similiter inter occasiones hujus vitæ, & peccatum veniale tantum datur illatio moralis. Ergo stat bene, quod illatio sit tantum infallibilis infallibilitate morali; & tamen quod certitudo illationis sit Metaphysicâ. Probat majorem. Quia prima propositio in communiori opinione est de fide, & colligitur ex Divo Paulo, qui ad Roman. 7. sic ait: *Infirmus ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per IESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Insuper certum de fide est, quod tentatio gravis contra castitatem absque speciali gratiâ vinci non potest; ut constat ex sapientiâ 8. Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit.* Secunda propositio est definita in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 23. Sed omnis propositio de fide est certa certitudine Metaphysicâ; quia repugnat, quod possit subesse falso. Ergo stat, quod illatio ex parte objecti sit moralis.*

Id confirmat ex scientiâ simplicis intelligentiæ de quidditate infallibilitatis moralis.

287. Confirmat. Quia Deus per scientiam simplicis intelligentiæ comprehensivè penetrat cujuslibet objecti quidditatem. Ergo etiam comprehendit quidditatem infallibilitatis moralis. Sed quidditas moralis infallibilitatis stat in hoc, quod licet semper liberè ponatur consensus à voluntate, si sub talibus motivis constituatur, etiam si in voluntate resideat potestas physica, & Metaphysicâ ad omittendum consensum. Ergo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ omne hoc cognoscit. Ergo ut Deus cognoscat, quod positâ tentatione gravi, homo consentiet, & quod diu nequit perseverare in iustitiâ acceptâ inter tot, ac tanta pericula; ac demùm quod nequit evitare omnia peccata venialia collectivè, impertinenter recurritur ad scientiam mediâ; cum totum hoc cognosci possit in naturâ determinationis moralis, quæ provenit ex his motivis, & circumstan-

Theol.

tiis. Sic habet dictâ disputat. 4. sect. 3. à num. 28.

288. Verùm hujus Neoterici cogitatio speciosâ magis, quàm verâ ratione munita, semper mihi visa fuit. Primò. Quia ex abusu scientiæ mediæ procedens putat scientiam mediâ non pertinere ad scientiam naturalem simplicis intelligentiæ; cujus oppositum multis ostendimus. Secundo. Quia ex eo sequitur, scientiam simplicis intelligentiæ solum esse certam, & infallibilem infallibilitate morali: Quod quidem eisdem principiis rejicitur, ac scientiæ conjecturalis, vel cognitio moraliter certa expunguntur à Deo, ut infinitâ Dei sapientiâ prorsus indignæ. Terriò. Quia nullum est assignabile medium, in quo illud objectum infallibile infallibilitate morali, Deus prænoscat. Ratio est. Tum quia consensus ille infallibilis infallibilitate morali, quatenus est objectum simplicis intelligentiæ, nihil est in suâ propriâ naturâ. Sed quod in se ipso nihil est, in se ipso cognosci non potest. Ergo solum potest cognosci secundum esse, quod habet in Deo. Ergo sola essentia divina, aut aliqua illius idæa poterit esse medium, in quo cognoscatur infallibiliter talis consensus. Sed essentia divina, aut ejus idæa non possunt movere Deum ad cognoscenda ea, quæ in illis objectivè repræsentantur, ut certa, & infallibilia solâ certitudine, & infallibilitate morali; sed potiùs certitudine, & infallibilitate Metaphysicâ: Aliàs cum scientiâ mensuretur ex suo motivo, & medio, talis scientiâ simplicis intelligentiæ esset solum moraliter certa, & moraliter infallibilis: Quod est contra communem Theologorum sententiam. Ergo implicat, Deum per scientiam simplicis intelligentiæ prænoscere aliquod objectum infallibiliter solum infallibilitate morali, sive morali certitudine.

Hujus Recensio cogitationem speciosam magis, quàm veram esse, solidis evincit rationibus.

289. Tum quia prædictus Author infallibilitatem moralem illius consensus componit cum physica, & metaphysicâ voluntatis potestate ad consensum. Ergo opus est, ut Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat ex parte voluntatis hujusmodi potestatem physicam, & metaphysicam ad consensum, & dissensum. Ergo per talem scientiam cognoscit consensum quidditativè contingentem saltem physicè, & metaphysicè. Sed in medio, in quo Deus certò, & metaphysicè cognoscit quidditativam contingentiam consensus ex parte voluntatis, etiam cum omnibus motivis, & circumstantiis, quæ sibi excogitavit Magist. Sandin, non potest cognoscere talem consensum ut certum certitudine morali, nisi aut opinando, aut conjecturando, aut alio modo imperfectissimo; quorum absurditatem

Impugnatio illud de infallibilitate motu rati.

R 3

ipla

ipsa prima terminorum apprehensio in verâ, & sanâ Theologiâ excludit à Deo. Ergo infallibilitas illa moralis, in quâ præcitatæ Author constituit efficaciam divinæ gratiæ, comparativè ad Deum est omninò impossibilis, & undequâquè chymærica.

290. Quartò. Quia quæcumque humanus intellectus vel ut certa certitudine fidei, vel certitudine morali; qualia sunt exempla adducta de casu in tentationem gravem, & alia hujusmodi; vel de lapsu justî in venialia sine specialissimo adjutorio Dei, juxta mentum Tridentini, vel solùm ut opinabilia, & probabilia; si transferantur ad scientiam divinam, certo certius est, horum veritates certissimè cognoscere; procul tamen à vero est, & omninò falsum, Deum cognoscere, quæ sunt fidei, certitudine fidei; & quæ sunt certa moraliter, certitudine morali; vel probabiliter, quæ nos probabiliter cognoscimus: Hoc enim esset transferre imperfectionem intellectus creati ad intellectum divinum: In quo nobilis Scotista pro efficaciam auxilii contra scientiam mediam, & Scholam Thomisticam stabiendam, contra communem Theologiam maximè hallucinatur.

291. Dicendum igitur est, Deum in medio suæ divinæ essentia, aut in ejusdem idæis præscire clare, & metaphysicè certâ suâ cognitione, quæ nos obscure cognoscimus certitudine fidei, vel certitudine morali, vel solùm probabiliter. In quo autem medio cognoscat certitudinem consensus, & cujuscumque alterius veritatis conditionatæ futuræ objectorum ex suâ quidditate contingentium; fusè à nobis in totâ hac controversiâ explicatum est. Distinximus enim in Deo duplicem scientiam naturalem simplicis intelligentiæ, duplexque medium, in quo Deus cognoscit causas liberas cum omnibus suis motivis, & principijs, ut ad utrumlibet indifferentes; in quo probavimus, Deum non cognoscere consensum determinatè possibilem potius, quàm dissentium, nec certitudine metaphysicâ, nec certitudine morali; sed omnes actus liberos, & contingentes, ut certò possibiles possibilitate in causa, propter hujus ad utrumlibet quidditativam indifferentiam. Et quia medium, in quo cum hac indifferentiâ, & quidditate representantur, & attinguntur hujusmodi causæ, nullum actum determinatè possibilem potius, quàm ejus oppositum representat: Quam Dei cognitionem naturalem, & necessariam diximus, & appellavimus scientiam simplicis intelligentiæ absolutæ; in quo vix est Theologus, qui præintellectis Divi Thomæ principijs, possit dissentire. Alterum verò medium;

diximus, esse essentiam divinam, sive idæas virtute, sive speculativè practicas. in quibus Deus independentè etiam ab omni decreto actuali, & cum solâ cognitione suæ potestatis, & decreti terminativè tantum possibilis, certò, & infallibiliter certitudine metaphysicâ cognoscit causas liberas in actu secundo possibiliter conjunctas in quibuscumque circumstantiis, & occasionibus cum suis operationibus liberis determinatè possibilibus potius, quàm cum earum oppositis; cum operatio possibilis causæ liberæ, in quâ uterque actus contradictionis, sive contrarietatis componatur, chymærica sit. In quo medio consequenter, probatum est, Deum certissimè præscire omnes operationes, & actus liberos determinatè possibiles potius, quàm eorum oppositos; & talem cognitionem naturalem dicimus scientiam conditionatam, & mediam, quâ Deus cognoscit ante omnè decretum actuale ex parte Dei actus liberos conditionatè futuros; cum idem omninò sit, Deum cognoscere consensum sub his auxiliis, & circumstantiis determinatè possibilem potius, quàm dissentium, ac cognoscere veritatem conditionatam hujus propositionis, quæ modo discursivo, & conditionato ab humano intellectu formatur; videlicet: *Si voluntas interius moveatur à Deo, vel ei conferantur in talibus circumstantiis hac auxilia, consentiet, &c.*

292. Et ratio est. Quia in medio, in quo Deus sub talibus auxiliis, & in talibus circumstantiis ex præscientiâ suæ liberæ potestatis, & decreti terminativè possibilis, prænoscit consensum determinatè possibilem potius, quàm ejus dissentium, non potest non cognoscere veritatem talis propositionis conditionatæ: Imò veritas est omninò eadem; hoc solùm discrimine, quod nos illam attingimus modo conditionato, discursivo, & in ratione futuritionis; Deus verò illam certissimè comprehendit absolute, unico intuitu, & sibi in suâ essentia objectivè præsentem; ex cujus discriminis non satis intellectâ differentiâ orta est in hoc puncto multorum pinguis hallucinatio. Videantur rationes, quas supra pro majori hujus utilissimæ doctrinæ fulcramento formavimus.

293. Nostrorum autem Doctorum solutio colligenda erit ex variis modis, quibus ingeniosè satis auxilii efficacis in essentia illustrarunt constitutum. Alii dicunt, auxilium gratiæ dici efficax non intrinsecè, sed extrinsecè; ita, ut ejus efficacia à cooperatione liberi arbitrii desumatur. Pro quo modo dicendi referuntur P. Vasquez 1. par. disp. 92. & 1. 2. disput. 98. Lessius de gratiâ, cap. 10. num. 9. meus Ripalda de ente supernaturali, disp. 113. sect. 5. Arriaga disputat. 38. sect. 3. Ex

Procul à vero est, Dei cognoscere certitudine fidei, quæ sunt fidei; & morali, quæ sunt certa moraliter.

Deus igitur in suâ essentia, vel idæis certò cognoscit, quæ nos obscure, vel certitudine fidei, morali, vel metaphysicâ aut probabiliter cognoscimus.

Quæ modo conditionato attingimus, aut certissimè absolute cognoscimus.

Inter solutores affiguntur auxilii efficacis.

Ex his alii communiter dicunt cum Vas-
quio, Arriagâ, & Sherlogo de scientiâ me-
diâ, auxiliû pendere in esse efficacis à
consensu conditionato, ut à formâ effica-
ciæ. Alii verò cum Ripaldâ tenent, effica-
ciam delumi à consensu vel conditionato,
vel absoluto, quale fuerit in quocumque
statu auxiliû, scientiâ mediâ semper præ-
suppositâ.

Sed dif-
plicent.
Quia spe-
ciale Dei
beneficium
non delu-
mitur ab
operatio-
ne volun-
tatis ab-
solutâ.

294. Huic tamen efficacis auxili, nisi
ad meliorem sensum reducatur, non pos-
sumus sub illis terminis acquiescere, ut fu-
siori calamo notavimus tract. illo citato
de concordia efficacis gratiæ cum libero
arbitrio. Ratio est primò. Quia in com-
muni omnium existimatione efficacia gra-
tiæ, in quocumque constituatur, semper
habetur, & consideratur ut speciale bene-
ficio Dei. Sed speciale Dei beneficium
non desumitur ab operatione voluntatis si-
ve conditionatâ, sive absolutâ. Ergo. Ma-
jor constat ex Sanctis Patribus, & com-
muni Theologorum sensu. Minor verò
probat quoad secundam partem de ope-
ratione, sive consensu absoluto, sive in pro-
pria naturâ existente. Tum quia efficacia,
quæ se habet ex parte causæ sive intrinsecè,
sive extrinsecè, non potest desumi ab ipso
effectu, sive actu. Sed efficacia sive intrin-
secè, sive extrinsecè, se habet ex parte au-
xilii; & hoc est causa consensû absoluti.
Ergo ejus efficacia non potest desumi ab
ipso consensu. Tum quia cum efficacia sit
speciale beneficium; si illa consisteret for-
maliter in ipso absoluto consensu, voluntas
creata sibi ipsi specialiter beneficeret; cum
ipsa liberè consensum ponat, à quo talis
efficacia dependet. Hoc autem non est di-
cendum. Ergo.

Nec ab o-
peratione
voluntatis
conditio-
natâ.

295. Probat iterum minor eadem
quoad primam partem. Tum quia consen-
sus quidditativè sumptus, nec habet esse
propriû suæ naturæ, nec habet esse in
Deo; sed ab omni esse, & existentia tam
intentionali, quàm physicâ præscindit; so-

lumquè consideratur in eo ejus essentia, &
quidditas. Sed quod in se nullum habet es-
se, alteri non potest esse speciale beneficium.
Ergo à consensu præcisè conditionato non
potest desumi ratio specialis beneficii. Tum
quia consensus conditionatus, & absolutus
sunt idem quidditativè; utriusque enim
eadem est essentia; cum hæc consistat in
eo, quod sit exercitium liberum volunta-
tis circa suum objectum; præscindens ta-
men ab eo, quod existat sive secundum es-
se proprium suæ naturæ; sive secundum
esse improprium, & intentionale; cum exi-
stentia non sit de conceptu quidditativo
essentiæ. Pro quo videnda sunt omnino
Opuscula de essentia, & existentia; de Di-
stinctionibus, & Præcisionibus objectivis;
de Unitate universalis, & alia, in quibus
principium hoc latè expendimus, & pro-
bavimus. Ergo consensus conditionatus
quidditativè sumptus, non potest se habere
ut efficacia, & speciale beneficium ad hoc,
ut consensus absolutus existat. Probat
consequentia. Tum quia idem in quantum
idem, semper est naturam facere idem. Tum
quia essentia rerum non sunt causæ suæ
propriæ existentia; sed solum ipse Deus,
qui prout vult, vel non vult, omnibus,
quæcumque in suâ essentia cognoscit, præ-
stat, vel non præstat existentia propriæ be-
neficium, eâ de nihilo extra causas edu-
cens. Ergo necesse est, quod omne bene-
ficio sive speciale, sive commune, origi-
nem habeat à Deo ut à primâ causâ: Cum
omne bonum, & donum perfectum des-
cendens sit à Patre luminum. Relinquitur
ergo, speciale beneficium divinæ gratiæ
non posse à consensu conditionato delumi.
Quamvis si ad meliorem explicationem
mens horum Recentiorum trahatur, bo-
num, Theologicumque sensum sententia
ipsorum accipere possit; ut ex infra dicen-
dis constabit. Mirro alios dicendi modos,
quos loco, & tractatu citatis ad longum
reverti.

